

CONSTITUTIONES

ARCHIVIO

ACM

3
1
106

PADRI SOMASCA

SOMASCA

ARCHIVIO

ACM	CASA MADRE
3	
1	
106	

PADRI SOMASCHI
SOMASCA





CONSTITUTIONES

CLERICORUM REGULARIUM

A SOMASCHA

~~~~~  
EDITIO QUARTA

NUPER REVISA ET COD. JURIS CAN. CONFORMATATA



ROMAE  
EX TYPOGRAPHIA CAMPITELLI

—  
MCMXXVII

## INDEX

|                                                                     |             |   |
|---------------------------------------------------------------------|-------------|---|
| <i>Epistola Rev.mi P. Aloisii Zambarelli, Praepositi generalis.</i> | <i>Pag.</i> | 1 |
| <i>Decretum approbationis S. Congregationis de Religiosis . . .</i> | »           | 5 |
| <i>Constitutio Apostolica Urbani PP. VIII. . . . .</i>              | »           | 7 |

### LIBER PRIMUS

|                                                                                                                      | <i>Pag.</i> |  |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------|--|
| Cap. I. — De Ordinis fine, institutis et personarum varietate . . . . .                                              | 11          |  |
| Cap. II. — De Provinciis et de ratione conferendorum maiorum officiorum . . . . .                                    | 14          |  |
| Cap. III. — De legitima Capituli generalis convocatione et de ratione eiusdem celebrandi . . . . .                   | 16          |  |
| Cap. IV. — Quinam ad Capitulum generale convenire debant, seu de Vocalibus et Sociis ac de eorum electione . . . . . | 25          |  |
| Cap. V. — De tempore ac loco Capituli generalis et precibus pro eo fundendis . . . . .                               | 35          |  |
| Cap. VI. — De electionibus in universum ac de suffragiis ferendis . . . . .                                          | 37          |  |
| Cap. VII. — De ratione eligendi Praepositum generalem . . . . .                                                      | 43          |  |
| Cap. VIII. — De electionibus maiorum Officialium ac de ratione ferendi suffragii in ipsa . . . . .                   | 51          |  |
| Cap. IX. — Qualis esse debeat Praepositus generalis . . . . .                                                        | 54          |  |
| Cap. X. — De munere et auctoritate Praepositi generalis . . . . .                                                    | 56          |  |
| Cap. XI. — De munere et auctoritate Vicarii generalis . . . . .                                                      | 62          |  |
| Cap. XII. — De qualitatibus et munere Procuratoris generalis . . . . .                                               | 65          |  |
| Cap. XIII. — De munere et auctoritate Provincialium . . . . .                                                        | 70          |  |
| Cap. XIV. — De qualitate et munere Cancellarii . . . . .                                                             | 74          |  |
| Cap. XV. — De ordine et modo rerum in Capitulo propendarum . . . . .                                                 | 77          |  |
| Cap. XVI. — De gradibus dignitatum et ordine sedendi . . . . .                                                       | 82          |  |
| Cap. XVII. — De Definitorio eiusque munere . . . . .                                                                 | 85          |  |
| Cap. XVIII. — De sacra visitatione . . . . .                                                                         | 92          |  |
| Cap. XIX. — De Consiliaris Praepositi generalis et provincialium . . . . .                                           | 99          |  |
| Cap. XX. — De novis domibus erigendis seu recipiendis . . . . .                                                      | 101         |  |
| Cap. XXI. — De aggregandis ad Religionem. . . . .                                                                    | 104         |  |

## LIBER SECUNDUS

|            |                                                                                |          |
|------------|--------------------------------------------------------------------------------|----------|
| Cap. I.    | — Monita ad interiorem cultum et spiritualem profectum pertinentia . . . . .   | Pag. 106 |
| Cap. II.   | — De Constitutionibus universe . . . . .                                       | » 112    |
| Cap. III.  | — De Horis canoniciis . . . . .                                                | » 116    |
| Cap. IV.   | — De missarum celebratione et mortuorum exequis . . . . .                      | » 119    |
| Cap. V.    | — De ecclesiis et earum supellectili. . . . .                                  | » 125    |
| Cap. VI.   | — De cantu et eius usu . . . . .                                               | » 128    |
| Cap. VII.  | — De oratione mentali . . . . .                                                | » 130    |
| Cap. VIII. | — De peccatorum expiatione et sacra communione . . . . .                       | » 133    |
| Cap. IX.   | — De obedientia et reverentia erga Superiores et Seniores. . . . .             | » 136    |
| Cap. X.    | — De castitate . . . . .                                                       | » 142    |
| Cap. XI.   | — De paupertate. . . . .                                                       | » 144    |
| Cap. XII.  | — De confessionibus excipiendis et cura animarum exercenda . . . . .           | » 148    |
| Cap. XIII. | — De Parochis, de Vicariis et de Cooperatoribus . . . . .                      | » 151    |
| Cap. XIV.  | — De Concionatoribus et Lectoribus . . . . .                                   | » 155    |
| Cap. XV.   | — De castigatione corporis per iejunium et verberationem et de vietu . . . . . | » 160    |
| Cap. XVI.  | — De silentio et modestia . . . . .                                            | » 163    |
| Cap. XVII. | — De Capitulo collegiali congregando et culpis dicendis . . . . .              | » 167    |

## LIBER TERTIUS

|            |                                                                                       |          |
|------------|---------------------------------------------------------------------------------------|----------|
| Cap. I.    | — Quales esse debeant Superiores nostri et de illorum munere ac facultate . . . . .   | Pag. 173 |
| Cap. II.   | — De Vicepraepositis, Vicerectoribus et Cancellario. . . . .                          | » 185    |
| Cap. III.  | — De Oeconomis et de administratione . . . . .                                        | » 188    |
| Cap. IV.   | — De aliis Officialibus seu Ministris et primo de Aedituo seu Saerista . . . . .      | » 191    |
| Cap. V.    | — De Bibliothecario . . . . .                                                         | » 194    |
| Cap. VI.   | — De Ianitore et aliis Ministris . . . . .                                            | » 196    |
| Cap. VII.  | — De admittendis ad nostrum habitum . . . . .                                         | » 199    |
| Cap. VIII. | — De Novitiorum institutione . . . . .                                                | » 205    |
| Cap. IX.   | — De Novitiis admittendis ad primam professionem et de professione sollemni . . . . . | » 213    |
| Cap. X.    | — De ratione studendi, de admittendis ad studia et de Praeceptoribus . . . . .        | » 217    |
| Cap. XI.   | — De promovendis ad Ordines . . . . .                                                 | » 221    |
| Cap. XII.  | — De habitu Clericorum et Laicorum . . . . .                                          | » 223    |
| Cap. XIII. | — De fabricis erigendis . . . . .                                                     | » 226    |
| Cap. XIV.  | — De aegrotantium cura . . . . .                                                      | » 228    |
| Cap. XV.   | — De egredientibus domo atque honesta animi remissione . . . . .                      | » 231    |

|             |                                                      |          |
|-------------|------------------------------------------------------|----------|
| Cap. XVI.   | — De Viatoribus et Hospitibus . . . . .              | Pag. 234 |
| Cap. XVII.  | — De epistolis scribendis et earum inscriptionibus » | 238      |
| Cap. XVIII. | — De otio vitando . . . . .                          | » 241    |
| Cap. XIX.   | — De triclinio et mensa . . . . .                    | » 242    |
| Cap. XX.    | — De Seminariorum et Convictorum regimine . .        | » 244    |
| Cap. XXI.   | — De cura et regimine Orphanorum . . . . .           | » 249    |
| Cap. XXII.  | — De pueris orphanis regendis . . . . .              | » 253    |

## LIBER QUARTUS

|           |                                                                       |          |
|-----------|-----------------------------------------------------------------------|----------|
| Cap. I.   | — De culpis et poenis . . . . .                                       | Pag. 255 |
| Cap. II.  | — De dimissione Religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt. . . . . | » 259    |
| Cap. III. | — De dimissione Religiosorum qui vota solemnia nuncuparunt. . . . .   | » 261    |

Index analytico - alphabeticus . . . . . » 265



P. ALOISIUS ZAMBARELLI

PRÆPOSITUS GENERALIS

ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM A SOMASCHA

PATRIBUS AC FRATRIBUS EIUSDEM ORDINIS

SALUTEM IN DOMINO.

Summopere nobis gratum est, dilectissimi in Christo filii, sacrum vobis tradere textum Constitutionum, iterum cura nostra in lucem editarum, postquam eas attente et accurate Ven. Capitulum generale et aliquot ex Patribus doctissimis et expertissimis perpenderunt, emendarunt, easdemque Codici Iuris Canonici, iuxta praescriptiones vi kal. iulias anno MDCCCCXVIII a S. Congregatione Religiosorum exaratas, conformarunt.

Uti vobis notum est, primae nostri Ordinis regulae sub anno MDLXIX in chirographis collectae, fere initiali statu adhuc existebant, et super simplicibus et per brevibus illis regulis tempore Patris nostri Hieronymi Aemiliani, eiusque discipulorum et comitum vigentibus, fundatae erant.

Quae primitus anno MDXCI tribus tantum capitibus praelo commissae, variis elapsis experimenti aptarumque amplificationum annis, III idus maias an. MDCXXVI a Summo Pontifice Urbano VIII approbatae, eodemque anno extrema manu vulgatae fuerunt. Hanc primam duae aliae editiones sequutae sunt: altera an. MDCLXXVII, altera vero an. MDCCXXXVI; quibus nec religiose, nec substantialiter, quoad regulae spiritum, ulla modificatio allata fuit, sed in appendice tantum nonnulla Sedis Apostolicae decreta addita sunt, quae directe ad nostrum Ordinem referebantur, aut eidem alicuius ponderis erant.

Hisce modo additionibus ablatis, quas nullum amplius fundamentum subsistentiae habere putavimus, novisque con-

ditis, quae necessariae visae sunt, cum modificationibus et accommodationibus a nonnullis Capitulorum generalium decisionibus aut a legibus ecclesiasticis in Codice Iuris Canonici comprehensis, commendatis, ortum est corpus peculiarium legum, quod absolutum, perfectum et multiplicibus necessitatibus nostrae religiosae vitae in omnibus aptum dici potest: dum omnis cura adhibita fuit, ut adhortationum pars, quae praecelta ac documenta purae religionis, verae sublimisque perfectionis complectitur, et quam initio libri II legimus, plena sua integritate relinquatur.

Ex his pretiosis instructionibus, veluti a vitae salutisque fonte, saepe vobis, dilectissimi in Christo filii, huiusmodi est illud consilii lumen et illa vis voluntatis, quaem per res incertas mediasque vicissitudines in mortali vitae curriculo vos dirigant, et ad diligentem istarum Constitutionum observationem, ante aram Dei iam sollemniter iuratam, impellant; pro quibus cuilibet vestrum inscriptum videtur illud S. Bernardi monitum: *Novit verus humilisque obediens, et minima non contemnere, et maxima curare, quae maxima sunt.*

Huiusmodi nostrae Constitutiones quam citius per totum Ordinem, eas avide expectantem, diffusae, eo magis hodie iam iam properante quadringentesimo suae fundationis anno, quasi scintillae in arundineto discurrent « Sap. III. 7 » et si (ut nostro pastorali ministerio convenit, vehementer vos exhortamur et obtestamur) eaedem in singulis nostris familiis pleno vigore custodientur et integre observabuntur, procul dubio ad perinsignium virtutum operum aemulationem corda vestra inflammabunt: qua de re ante omnes exemplum perhibuit Sanctus nostri Ordinis Fundator, magna que virorum phalanx pietate et doctrina praestantium, qui hisce quatuor decurrentibus saeculis eius ferventes sequaces ac digni imitatores evaserunt.

Verumtamen vae vobis, filii in Christo carissimi, si quacumque ratione ab eo recto tramite a Constitutionibus praescrito recederetis; aut si alicuius religiosi sodalis negligentis, et ignavi deplorandam consuetudinem perseverandi caussa,

ita et vos in spirituali vita illi similes redderemini; aut magis magisque peius si ipsam religiosae disciplinae imaginem permutare et frangere auderetis, quae semper eadem manere debet! Tunc vero continget, ut, daemonis voluntatem exsequendi gratia, praecpta Dei violarentur; tunc parvae humanae satisfactiones, quae animi motibus mentisque aberrationibus indulgendo vobis occurront, deliciis ac immortalibus gloriae coronis, quae propriis legibus obtemperando comparantur, anteponerentur. Vera sapientia, prudentia, animique magnitudo consistunt in legibus custodiendis, a Deo vobis tributis, scilicet regulis vestrae sollemnis votorum nuncupationis, quarum Spiritus Sanctus est auctor: *Haec est enim vera sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa praecpta haec dicant: en populus sapiens et intelligens, gens magna* « Deut., 4, 6 ».

Leges ac obtemperatio regulis Instituti, illius mystici corporis cuius membra vos estis, sunt quidem viae tutiores vobis adhibendae, ut ad summam virtutem pervenire valeatis: *Optima religiosa perfectio, perfecte communia quaeque servare*, ait S. Bonaventura. Iure autem statuit S. Franciscus Salesius « *praedestinationem sodalium religiosorum sitam esse in amore erga regulas proprii Ordinis, et in adimplendo adamassim quod vi eorum vocationis exequi oportet* »; et Paulus Apostolus concludit: *Haec agite, et Deus pacis erit vobiscum* « ad Phil. IV, 9 ».

Accipite interim et custodite, veluti pretiosissimum thesaurum, Constitutionum librum, quem vobis nunc tradimus, quarta hac editione et debita Apostolicae Sedis approbatione rursus editum; librum veritatis ac vitae, cui omne studium a vobis ponendum est, ut eum intelligatis, ametis, et quam melius fieri poterit adhibeatis, « *onde avendo voi fatto dal canto vostro ciò che vi è stato possibile, esso Signore resterà soddisfatto di voi e la buona volontà supplirà al diffetto appresso di lui che è benignissimo* ».

Sic veneratus Pater noster S. Hieronymus in epistola quam vernacula lingua scripsit Ioanni Baptista Scaino: hoc idem nos a vobis reposcimus, Deum orantes, ut vobisme-

tipsis vere gratiam concedat amandi et exsequendi Constitutiones, utpote eas amarunt et in usu habuerunt sancti viri, ac praecipue iuvenis ille, S. Ioannes Berchmans, qui et morti proximus eas sinu fovebat, inclamans: *libens nunc morior*; et insuper ab eodem Domino nostro implorantes, ut colatis eum et faciatis eius voluntatem corde magno et animo volenti. Ipse autem misericordiae Pater, via, veritas et vita « *adaperiat cor vestrum in lege sua, et in praeceptis suis, et faciat pacem; exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo* » « 2 Machab. I<sup>o</sup>.

---

Num. 3737/26.

DECRETUM.

*Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providentia PP. XI, inaudientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 9 augusti 1927, re sedulo perpensa, textum Constitutionum Ordinis Clericorum Regularium a Somasca, iam adprobatum a Summo Pontifice Urbano VIII anno 1626, nunc vero Codici Iuris Canonici conformatum et novo ordine dispositum, uti continetur in hoc exemplari, cuius autographum in Archivo eiusdem Congregationis asservatur, cum emendationibus insertis, adprobare et confirmare dignatus est, prout praesentis Decreti tenore adprobat et confirmat.*

*Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die, mense et anno ut supra.*

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*  
Locus  *Sigilli.*

VINC. LA PUMA, *Secret.*

---

## URBANUS PAPA VIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sacrosanctum Apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum iugiter Nos admonet, ut inter gravissimas, multiplicesque Apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam Christi fideles sub suavi religionis iugo virtutum Domino famulantes sub certis, et provide ordinatis statutis, atque constitutionibus in sanctitate, et iustitia, felicioribus in dies proficiant incrementis, ac proinde iis, quae propterea statuta, et ordinata sunt, ut ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur, perpetuaque roboris firmitate subsstant, Apostolicae confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane dilectus filius Ioannes Antonius Palinus Procurator Generalis Congregationis Somaschae, alias Sancti Maioli Papien., et Doctrinae Christianae Regni Franciae, suo et dictae Congregationis nomine nobis nuper exponi fecit, quod pro felici, et prospero eiusdem Congregationis regi-

mine, atque gubernio, non nullae Constitutiones diversis temporibus factae, novissime vero per Venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis Regularium praepositos recognitae, et in unum volumen compilatae fuerunt.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Antonius Procurator Generalis nominibus praedictis, praeminsertis Constitutionibus pro perpetua illarum subsistentia, et inviolabili obseruantia Apostolici nostri muniminis firmitatem per Nos adiici summopere desideret, Nobisque propterea humiliiter supplicari fecerit, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos inviolabili earumdem Constitutionum observationi, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, nec non dictum Procuratorem Generalem, ac totam Congregationem praedictam specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de eorumdem Fratrum consilio praeminsertas Constitutiones Apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apo-

stolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos tam iuris, quam facti, quantumlibet substantiales, defectus, si qui in illis intervenerint, supplemus; Decernentes easdem Constitutiones, nec non praesentes literas semper, et perpetuo valida, firma, et efficacia, existere, et fore; nec non in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter sub poenis in eisdem statutis comminatis observari, et adimpleri debere, ac quoscunque eiusdem Congregationis Superiores, Presbyteros et personas ad plenariam illorum observationem omnibus iuris, et facti remediis cogi, et compelli posse, sique per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis aliis dictae Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis quibusvis ipsius Congregationis Superioribus, Presbyteris, et personis huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet

concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscator. die 5 Maii 1626. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Locus ☩ Sigilli.

#### V. THEATIN.

## LIBER PRIMUS

### CAPUT I.

#### DE ORDINIS FINE, INSTITUTIS ET PERSONARUM VARIETATE.

1. Clericorum Regularium humilem hunc Ordinem Pater Hieronymus Aemilianus beatae recordationis Patricius Venetus in Dei Ecclesia, divino afflante numine, strenuam, quae Christo militaret, veluti aciem excitavit anno salutis humanae MDXXVIII. Huic a Somasca exiguo pago, ubi primum illius fundamenta sunt iacta, nomen est.

2. Eum autem finem ardentissimus ille noster parent sibi et suis commilitonibus propositum esse voluit, ut contemplatricem vitam simul cum actuosa coniungerent; maxime vero proximo adiuvando, quibuscumque piis divinae charitatis operibus possent, ferventissime consulerent. Quo factum, ut priscis illis temporibus *operum et pauperum Patres* primum nostri vulgo nuncuparentur. Itaque varia, eademque in Ecclesia Dei admodum utilia charitatis ac pietatis plena instituta, Summorum Pontificum assensu a prima usque origine complexa est. Nam ante omnia eorum, qui fortunis destituti et parentibus orbati Orphani ap-

pellantur, curam tum in iis, quae ad animae, tum in iis, quae ad corporis cultum pertinent, suscepit.

3. Deinde adolescentes et in Seminariis ex Sacri Concilii Tridentini decreto institutis et in publicis Gymnasiis et in nobilium Collegiis vel Academiis, ad christianam pietatem doctrinarumque studia excolare nuntiatur.

4. Postremo ne, dum alienae saluti invigilat, propriae indormire videatur, claustralicia collegia, veluti propria domicilia tamquam palaestras habet, ubi milites sui ab omni rerum et negotiorum cura vacui et liberi, piis vitae contemplatricis exercitationibus, uni Deo addicti, ad spiritualem sese pugnam et profectum instruunt maioraque in dies ad proximorum etiam salutem subsidia derivare contendunt. Nam et sacramentis ministrandis et missarum sacrificiis celebrandis et sacris concionibus lectionibusque habendis atque aliis piis operibus exercendis christiano populo prodesse conatur, praecipue vero fidelibus in doctrina christiana erudiendis.

5. Omnim autem, ex quibus universus hic Ordo constat, duae sunt quasi classes, altera Sacerdotum et Clericorum: altera eorum, qui ad serviendum destinati, Laici professi vel Aggregati nuncupantur. Caeterum communis est nostra vivendi ratio et eiusmodi, ut non difficile sit cuilibet eam complecti, quippe quae nec magnam austeritatem, neque severiorem corporis afflictionem inducat: sed per veram humilitatem, perfectam obedientiam, abnegationem abdicationemque propriae voluntatis in via Christi Domini Nostros ad bravium perfectionis perducat. Quamobrem cum primum fructuosis Christi Domini Ecclesiae incrementis coepit adolescere, eum Sanctiss. Pontifex Pius V, anno salutis nostrae MDLXVIII, octavo Idus Decembbris, Pon-

tificatus anno tertio, in Religionum numerum cooptavit et sub regula Sancti Patris Augustini reposuit. Tum sequens annus sexagesimus nonus, nuncupatis a primis nostris Patribus sollemni ritu professionis votis, tertio Kal. Maii, Sancto Petro Martyri et Catharinae Senensi sacro die, Deo bonorum omnium auctore feliciter annuente, felix, ac faustus natalis illuxit Ordini. Quem caeteri deinde Summi Pontifices, quotiescumque tulit occasio, auctoritate sua comprobarunt et confirmarunt, nec non gratiis ac privilegiis quamplurimis exornarunt.

---



---

## CAPUT II.

### DE PROVINCIIS ET DE RATIONE CONFERENDORUM MAIORUM OFFICIORUM.

6. Ordo noster, iussu Alexandri Pp. VII, divisus est in Provinciis; quarum fines, semel constituti, mutari nequeunt absque licentia Sanctae Sedis.

7. Quorsum unaquaque Provincia dominium suum legitime extendat, nempe quae loca sive domus ad eam ex iure pertineant, primum ex ipso documento Sedis Apostolicae, deinde vero ex libro Actorum Capituli generalis constare debet.

8. In posterum quaelibet domus extra Italiam sive trans mare Atlanticum erigenda, ei Provinciae adsignetur, quae religiosos homines ad rem necessarios suppeditarit, nisi aliter Capitulo generali visum fuerit.

9. Creatio novae Provinciae Sedi Apostolicae non proponatur, nisi fuerit prius a duobus Capitulis generalibus cum duabus votorum partibus approbata.

10. Singulae Provinciae sex habeant Vocales, qui cum uno Socio ex unaquaque Provincia eligendo constituent Comitia generalia, uti infra dicetur nn. 44 et 50.

11. Comitorum generalium erit eligere, iuxta nostra statuta, omnes digniores Officiales, de quibus infra (Cfr. nn. 12 et 121).

12. Maiores dignitates elegantur a Capitulo generali, hac tamen lege, ut cuilibet Provinciae una ex iis

conferatur. Quare sumpto ex una Provincia Praeposito generali, ex aliis Provinciis eligendus erit Vicarius; item electis iam Praeposito generali et Vicario, Procurator generalis sumendus erit ex Religiosis illius vel illarum Provinciarum, quae neutram dignitatem obtinuerunt; et sic deinceps. Cancellarius ex ea Provincia sit, ex qua Praepositus generalis.

Si quatuor sint Provinciae, Cancellarius ad quartam pertineat; sin plures quam quatuor, tunc pro unaquaque nova Provincia alia dignitas creanda erit, quae appellabitur Definitor; et omnes huiusmodi dignitates cum prioribus, servato ordine inter Provincias, de quo supra, conferenda erunt.

Quod, si pro necessitate temporum et rerum ita in angustum aliquando Nostri cogantur, ut non plures quam duas Provincias habeant, tunc ex his altera Praepositorum generalem et Cancellarium obtinebit, altera autem Vicarium et Procuratorem.

Eligendi ad maiores dignitates gaudeant necesse est omnibus requisitis, ut pro Vocalibus statutum est in nn. 45, 46, 47.

13. Singulae Provinciae singulos habeant Provinciales cum potestate ordinaria supra quolibet domum omnesque Religiosos suae Provinciae.

14. In Provincialem eligi nequit Vocalis alienae Provinciae.

15. Praepositus generalis eligitur a Capitulo generali ad triennium; item Praepositi provinciales eligitur ad triennium; quo elapsso, tum Praepositus generalis tum etiam Praepositi provinciales eligi iterum poterunt ad aliud triennium, non autem ad tertium triennium immediate sequens. Reliqui vero digniores Officiales, licet et ipsi ad triennium elegantur, semper tamen reelegi possunt.

---



---

### CAPUT III.

DE LEGITIMA CAPITULI GENERALIS CONVOCATIONE  
ET DE RATIONE EIUSDEM CELEBRANDI.

16. Quoniam singularia quicquid habent boni, et quod sint et quod conserventur, causis universalibus ferunt acceptum, ideo ab ipso Ordinis nostri Capitulo generali, a quo caetera omnia, quae ad bonum et rectum regimen pertinent, quasi formam et subsistentiam capiunt, initium sumere operae pretium erit.

17. Capitulum igitur generale sive a Praeposito generali sive a Vicario generali, deficiente Praeposito generali, publicis impressis literis, et ad locorum Superiorum omnes in Italia, ad Provinciale vel Provinciales, si plures esse contigerit extra Italiam, missis, indicendum erit, et hac ratione Vocales omnes legitime vocati intelligentur. Ad illud singuli iidem convenire studebunt. Si vero statuto tempore non omnes advenisse compertum fuerit, illi, qui praesentes erunt, dummodo duae saltem tertiae partes electorum praesentes sint et absentes legitime, ut dictum est, vocati fuerint, totum Capitulum repraesentent, et quicquid ab eis in eo peractum fuerit, tamquam ab omnibus factum nemo impugnare audeat.

18. Ad Capitulum generale nullus accedet, nisi Vocales et Socii et si qui disputationis aut concionis gratia a Praeposito generali accersentur.

19. Quilibet tam Vocalis, quam Socius die dominico, quo inchoabuntur Comitia, Praeposito generali pecunias vel earum notam fideliter tradere teneatur, nec aliquid donare, emere aut cum alio permutare possit, durantibus Comitiis, sine Praepositi generalis licentia, sub poena ab ipso Praeposito pro gravitate culpae statuenda.

20. Praepositus generalis una cum Cancellario feria quinta, Vocales et Socii sabbato praecedente eundem dominicum diem, aderunt omnino. Eorum unusquisque recta, si fieri possit, via in accessu et recessu proficiscetur. Praepositus collegii, ubi Comitia habebuntur, una cum Cancellario duos seu etiam plures Sacerdotes sacrario et missis dicendis praeficiet: Ianitores socium alterum adiunget: aliis cibariorum curam demandabit: Patribus adventuris cubicula constituet, affixis pree foribus eorum nominibus, quibus destinata sint: Laicis et Clericis eiusdem familiae iniungerit, ut Patribus advenientibus perhumaniter serviant, cubiclia quotidie sternant et alia huiusmodi munia, magna cum charitate et humilitate impendant.

21. Praepositus generalis nominabit unum aut alterum Monitorem, qui curet ad praescriptum Constitutionum omnia fieri et caeremoniis praesit; unum, qui horas praescriptas cuiusque actionis ineundae indicet; duos ex collegialibus, qui Capituli ianitores sint; indicem, in quo praedictorum et aliorum Officialium nomina descripta sint, manu propria subscriptum Capituli valvis affigi iubebit.

22. Dominico die, quo erit Comitorum initium, missam sollemni ritu celebrabit idem Praepositus generalis vel ex primoribus quispiam alias, cui intererunt cuncti Vocales et Socii in re sacra facienda non occupati: ante vel post missam concio habeatur et

orationi ac sacrificiis devote peragendis eo ipso mane vacabunt universi.

23. Eodem die duabus post prandium horis tintinnabulo de more pulsato, Praepositus generalis caeterique Vocales et quicumque in eodem collegio quavis ex causa aderunt, ad chorum convenient ibique ad semihoram orationi mentali operam dabunt pro felici Capituli generalis progressu; qua elapsa, is cui temporis cura demandata est, petita benedictione, ad nutum Praepositi generalis Litanias beatae Virginis Mariae inchoabit, quibus recitatis, idem Praepositus generalis vel Vicarius aut, iis absentibus, qui maiori dignitate est insignitus, prosequetur preces, prout infra:

- V. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.
- R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
- V. Domine exaudi orationem meam.
- R. Et clamor meus ad te veniat.
- V. Dominus vobiscum.
- R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus. Deus misericordiarum Pater, per merita et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adiutorem et patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

24. Qui orandi modus post prandium toto Capituli tempore idem prorsus erit.

25. Oratione absoluta, signo campanulae Vocales

et Socii ad ingrediendum Comitium convocentur, qui statim cum silentio ad illud se conferent, quod religioso ornatu apparatum esse debet: quo ubi pervenerint, ante sanctissimam Iesu Christi Crucifixi imaginem mensae superpositam omnes flectant genua. et Praepositus generalis sublevatis in coelum oculis dicat:

- V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
- R. Qui fecit coelum. et terram.
- V. Benedicite.
- R. Deus.

Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam; et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen.

26. Deinde fiat confessio generalis alternatim et absolutio, ut fit in choro ad Completorium.

Confiteor Deo Omnipotenti, etc. Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.

Tum Vicarius generalis vel, eo absente, Vocalis professione antiquior Praepositorum generalem vel, si is non adsit, primarium absolvat hac verborum formula:

Auctoritate Omnipotentis Dei mihi licet indignissimo per Sedem Apostolicam virtute privilegiorum Mendicantium, vel alio quovis titulo concessa, ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti et quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis: et tecum super quavis irregularitate, et impedimento dispenso, quatenus possum et tu indiges, ad hoc tantum, ut quaecumque per te fient in Congregationibus praesentis Capituli habendis, rata et firma sint. In nomine Patris. et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Mox Praepositus generalis reliquos absolvet his verbis:

Auctoritate Dei Omnipotentis mihi licet indignis-

simo per Sedem Apostolicam virtute privilegiorum Mendicantium vel alio quovis titulo concessa, ego vos omnes hic congregatos et etiam omnes alios, durante hoc Capitulo, nobiscum congregandos ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti et a quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis absolvō et cum iisdem super quavis irregularitate et impedimento dispenso, quatenus possum et vos et illi indigetis, ad hoc tantum, ut omnia, quae in Congregationibus praesentis Capituli peragentur, rata et firma sint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Post haec subiicit hymnum, *Veni Creator Spiritus, etc.*

*V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.*

*R. Et renovabis faciem terrae.*

*V. Cor mundum crea in me Deus.*

*R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

*V. Domine exaudi orationem meam.*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*V. Dominus vobiscum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

*Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos et super congregations illis commissas spiritum gratiae salutaris et, ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

27. His peractis, sedeat suo quisque loco, ut in capite « de ordine sedendi » dicetur. Praepositus generalis gravem aliquam et pastoralem cohortationem rebus

peragendis accommodatam habebit, simulque ad Dei gloriam procurandam, ad pacem et veram concordiam amplectendam, ad modestiam domi forisque toto Comitiorum tempore observandam, ad incumbendum orationi omnes excitabit: monebit, ne quis literas alicui dare vel ab aliquo accipere audeat sine licentia, ne quis aliorum cubicula frequenter, nec ambitus suspicionem aliis ingrerat, ne quis egrediatur e claustris sine benedictione et assignato comite, ne prandere, coenare aut comedere extra commune triclinium, multo minus extra collegium aliquis praesumat: ad silentium statis horis et inter discubendum praesertim religiose servandum adhortabitur et ut ad obedientias campanulae signo prae-notatas praesto sint omnes: tandem quisque iterum moneatur resignare pecuniam, si non resignaverit.

28. Quoniam vero ad constituenda legitima Comitia plurimum refert non mediocrem diligentiam adhibere in prospiciendo, qui iure ad eligendum concurrere possint et qui non item: idcirco Praepositus generalis vel, eo absente, aut alias impedito, Vicarius indicet, ut si quis quempiam ex congregatis quoquo nomine suffragii iure privatum noverit, ad Capitulum referat prius, quam ad ea, quae in Capitulo decernenda sunt, deve niatur, Cancellario sequentia verba:

*Ego N. N. Cancellarius de mandato Reverendissimi nostri Praepositi generalis admoneo et omnibus notum facio, si quis noverit quempiam ex congregatis aut congregandis quoquo nomine suffragii iure privatum esse, ad Capitulum referat, antequam ad ea, quae in praesenti Capitulo sunt decernenda, deveniatur.*

29. Cancellarius nomina Vocalium et Sociorum omnium tam absentium, (qui scilicet ad dictam diem venire aut neglexerunt aut non potuerunt, illorum litteris, si quas habebit, publice perfectis) quam praesent-

tiuum alta voce recitabit: ex quo Comitia legitime congregata esse cognoscantur.

30. Post haec accersendi erunt, qui in numerum Vocalium cooptati prima vice capitulare munus sunt inituri, qui omnes coram Praeposito generali et Consiliariis, flexis genibus professionem fidei emittent, et iurabunt in hanc formam:

*Ego N. N. testem invoco Deum, quod ea omnia, quae in Comitiis generalibus instantibus et futuris agentur, quae in totius Ordinis aut personae alterius quoquo modo praeiudicium vergere possint, sub sigillo secreti continebbo.*

31. Ubi Vocales religiosis congratulationibus a ceteris fuerint excepti, Socii sese obstringent iuramenti vinculo, omissio verbo « et futuris ».

32. Et statim Praepositus generalis, ne cum sigillo deposito, in medio Comitii ante Crucifixi imaginem summa cum animi humilitate et corporis submissione proprias exteriores culpas Deo et Patribus genuflexus sincere confitebitur, omnibus detecto capite stantibus. Mox illo ad propriam sedem reverso, idem Vocales omnes praestabunt et Socii: deinde propria repetent loca.

33. Culparum confessione absoluta, quatuor legentur capita Libri I Constitutionum, scilicet cap. II: « de ratione conferendorum maiorum officiorum »; cap. VI: « de electionibus in universum »; cap. VII: « de ratione eligendi Praepositum generalem »; et cap. IX: « qualis esse debeat Praepositus generalis ».

Quibus lectis, Praepositus generalis serio omnes admoneat, ut sub sigillo secreti ea omnia diligentissime custodian, quae in Comitiis tractabuntur, ita ut numquam dicere vel alia quacumque ratione significare permisum sit aliquem tali decisioni, decreto, aut electioni

consensisse, aliquem dissensisse aut quae in electionibus acta fuerint, vel disputata, et similia. Tandem in posterum diem novi Praepositi generalis creatio indicetur.

34. Singulis diebus mane, et a prandio Vocales in Comitium convocabuntur, donec quaecumque ad Capitulum generale spectant, sint peracta: ante cuius ingressum semper campanulae signum praemitti debet ab eo, cui a Praeposito generali fuerit demandatum. Definitorium postea cogetur, in quo observentur ea omnia, quae Cap. XVII « de Definitorio eiusque munere » traduntur.

35. Postremo loco Vocales rursus erunt convocandi et de aliis inter Vocales aggregandis agetur, tum si quid forte in superioribus sessionibus praetermissum fuerit, si quid occurrerit definitum, approbandum sive etiam reprobandum a Capitulo generali, id proponetur a Cancellario et, auditis primum omnium sententiis, statim secretis suffragiis definitur. Tandem Praepositus generalis brevi cohortatione universos inflammabit ad animorum coniunctionem etiam in locorum disiunctione invicem et praesertim cum capite servandam, ad obedientiam prompte amplectendam, ut animo sint in Ordinem nostrum bene propenso et charitatem in omnes exerceant: tum Cancellarius loca cuilibet dumtaxat Vocalium deputata, iisdem audientibus, alta voce denuntiabit.

36. His actis, dato campanulae signo, in ecclesiam se conferent Vocales et Socii et quicumque ex Nostris in dicto collegio adfuerint cantando « Te Deum laudamus, etc. » ibique ianuis clausis nomina Superiorum omnium et subditorum a Cancellario perlegentur. Tum Praepositus generalis Itinerarium incipiet, alii prose-

quentur. Eo dicto et pacis osculo invicem de more dato,  
Comitia dimissa censeantur.

37. Ad locum sibi ab obedientia destinatum quisque, accepta prius a Praeposito generali benedictione et patentibus literis, si fuerit Superior, proficiscetur. Unicuique discessuro tempus itineris praefigatur, nec praeterire illud liceat, seclusa infirmitatis occasione.

#### CAPUT IV.

QUINAM AD CAPITULUM GENERALE CONVENIRE DEBEANT  
SEU DE VOCALIBUS ET SOCIIIS AC DE EORUM ELECTIONE.

38. Cum totius Ordinis utilitas praecipue a generali Capitulo dependeat, quod totum illius sustinet onus, in Vocalibus eligendis et admittendis matura opus erit consideratione, ut scilicet publicae consulatur saluti, non privato alicui commodo. Ea propter solum eos adscribendos studebunt, qui vita, et moribus caeteros antecellant: quique prudentia, et consilio, et scientia valeant in rebus arduis consulere: qui item per aliquot annos fuerint in Religione probati; elapsumque fuerit ad minus decem annorum spatium post emissam primam professionem: quique aetatis suae saltem trigesimum annum attigerint.

39. Eligendorum Vocalium erit modus: Praepositus generalis iubebit a Cancellario congregatos in Capitulo Patres praemoneri in sequenti sessione novos Vocales creandos esse (id vero fiet, si in praeterito triennio eorum aliqui decesserint vel perpetuo impedimento detineantur) qui debeant suffici in locum eorum, qui desiderantur ad explendum numerum legitimum Vocalium singulis Provinciis adsignatum; quod si praestandum erit, sessione sequenti legetur ante omnia ab eodem Cancellario totum hoc integrum caput.

Pater vero generalis iubebit Cancellarium alta voce efferre:

*In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, unusquisque vestrum accedat ad nominationem et suffragia ferenda pro electione novorum Vocalium praemisso iuramento.*

Postea tres Scrutatores e gremio Capituli ad vota colligenda per secreta suffragia deputentur, qui statim ad mensam accedent, Vicario et Procuratore ad propria loca interim abeuntibus.

Pater generalis primus omnium iurabit in haec verba:

*Ego N. N. Praepositus generalis Ordinis Cler. Reg. a Somascha, testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me in creatione novorum Vocalium illos eligere, quos secundum Deum iudico eligi debere.*

Item fiet ab electoribus omnibus, prius tamen a Scrutatoribus, qui addent solita verba: «meque hoc Scrutatoris munus fideliter impleturum et secretum circa acta in Comitiis, etiam expleta electione, servaturum».

40. Quo peracto, Pater generalis, tum Scrutatores, mox reliqui Vocales, professionis ordine servato, ad mensam accedentes, schedulam unam tantummodo, in qua nomen et cognomen unius sit scriptum, iniicient in cadiiscum mensae impositum. Scrutatores schedulas extrahent et numerabunt, in quibus si plures reperientur nominati, quam sint nominantes, Scrutator professione senior Patres admonebit de errore et, schedulis abiectis, iterum ad nominationem devenietur; quod si secunda vice idem irrepserset error, Pater generalis praecepto sanctae obedientiae obstringet electores, ut singuli unum tantummodo nominent. Schedulis perfectis, nominatos omnes describent Scrutatores et pronuntiabant, atque iterum, professionis ordine servato, omnium nomina rescribentur; quod si in suffragatione aliquis contingenter error quoad professionis ordinem, electiones

nihilominus sint validae, nec ex ipsa nominatione ius ullum quoad electionem oriatur.

41. Suffragatio incipiet ab ordine professionis et omnes nominati subiicientur calculis, nec interim pronuntiabitur a Scrutatoribus quem suffragiorum numerum quisque tulerit: describent tamen singulorum nomina et numerum votorum, quem quisque obtinuerit: finita suffragatione, pronuntiabantur qui omnium suffragiis fuerint electi, si qui erunt, et isti caeteris praef'erantur: similiter electi pronuntiabantur, qui plura vota supra dimidium et supra alios respective fuerint sortiti, usque ad supplementum numeri senarii inclusive.

Quod si inter plura vota habentes aliqui reperientur pares numero et adhuc non esset expletus numerus senarius, tunc ii professionis ordine servato subdantur calculis et cui illorum plura deinde suffragia, ut supra, cesserint, is censeatur electus: verum si in ista suffragatione adhuc pares essent, senior professione pronuntietur electus. et inter aequales professione senior aetate.

42. Quod si casus ferat, ut aliqua difficultas, seu controversia (quod in huiusmodi negotiis interdum evenire solet) oboriatur, Capitulum generale cum maiori votorum numero rem totam definiet et caeteri acquiescent.

43. Si ex electis aliqui praesentes essent in illo collegio, electionibus publicatis, advocentur in Capitulum et, servatis quae supra sancita sunt, recipientur.

Si vero absentes sint, illorum absentia nihil officiat rebus tunc peragendis.

44. Numerus eorum, qui ex unaquaque Provincia Capitulo generali interesse debent cum utraque voce, nullo modo excedat numerum senarium. In posterum,

absque beneplacito Sedis Apostolicae, praedictus numerus augeri nequaquam poterit: quod si debita cum facultate augeatur, id ne fiat nisi parce et moderate. facutate augeatur, id ne fiat nisi parce et moderate. facutate augeatur, id ne fiat nisi parce et moderate.

45. Ut autem clarius innotescat electoribus quae-  
nam scientia, prudentia seu consilium requiratur in  
iis, qui tempore electionis novorum Vocalium proponi  
poterunt, quo inter Vocales adscripti rebus in arduis  
consulere possint et ut strenue laborantes in vinea Do-  
mini dignis afficiantur praemiis: in posterum nullus,  
vel proponatur. vel adscribatur in numerum Vocalium,  
nisi:

- a) Vel per decem annos methodice scientias speculativas docuerit in superioribus scholis;
- b) Vel concionibus aut lectionibus cum animarum fructu et Ordinis laude per annos decem operam dederit;
- c) Vel per annos duodecim in inferioribus scholis seu rhetoricam seu literas humaniores aut caeteras disciplinas fructuose docuerit;
- d) Vel in aliqua ex nostris domibus disciplinae regularis amantissimus in animarum cura et sacramentorum administratione laudabiliter sese gesserit per annos quindecim, dummodo in conscientiae casibus multum sit versatus;
- e) Vel qui per annos decem in instruendis Novitiis tam primi quam secundi novitiatus, sive professorii, in literis aut moribus Ordini inservierit;
- f) Vel qui egregiis operibus componendis incubuerit;
- g) Vel qui a secretis Rev.mo Patri nostro generali fideliter ac diligenter per annos duodecim adfuerit;
- h) Vel qui in aliqua ex maioribus nostris domi-

bus Vicepraepositi aut Vicerectoris aut Oeconomi officio bene defunctus fuerit per annos duodecim;

i) Vel qui, sacerdotio condecoratus, per annos duodecim adiutor, sive praefectus aut moderator nostris alumnis adfuerit; vel per id tempus aliquod ex nostris piis divinae charitatis operibus maxime iuverit;

j) Vel demum qui, ad maiora aptus munera, ex obedientia tamen in minoribus quibuscumque utiliter assignatus, laudabiliter Ordini inservierit per congruum annorum spatium ad arbitrium Capituli generalis.

46. Praedictarum autem qualitatum et laborum perfuctorum, ut supra, attestations debitae factae a Superioribus, et Visitatoribus cum eorum iuramento deferentur ad singula Capitula generalia, ut describantur in libro peculiari asservando in Archivo principali Ordinis, qui ad Capitulum deferetur, ut a Cancellario eae omnes legi possint, antequam ad singulorum suffragationem deveniatur.

47. Verum quia contingere potest aliquem non per statuta haec temporis spatia coeptum munus continuare, interruptio meritis alicuius non officiat, sicut nec si quis diversis ex praedictis muneribus obeundis totum praefixum tempus respective consumpererit, hac praerogativa erit indignus, quod totum iudicio eorumdem Patrum remittatur, qui, personarum et laborum habita ratione, gradus et honores cum summa aequitate benemerentibus impertient, ut ad vitae, et morum integritatem, ac bonarum artium, et regularis disciplinae studium et observantium omnes excitentur.

48. Triduo ante meritorum approbationem, a toto Capitulo generali per vota secreta faciendam, nomina eorum Patrum, quorum merita (a Revisoribus ad hoc deputatis prius cognita) approbanda erunt, valvis eiusdem Capituli affigi debent; ut quilibet Vocalis, pe-

racta secreto per vestigatione, certior fieri possit de prolatiis uniuscuiusque qualitatibus et laboribus.

49. His nisi servatis legibus, in numero Vocalium Capituli generalis nemo umquam vel esse censeatur vel sibi iuris esse aliquid arbitretur.

50. Praeter hos Vocales ad generalia Comitia accedent Socii seu Discreti ex unaquaque Provincia, ut infra eligendi, cum voce activa et passiva in omnibus maiorum dignitatum seu Officialium, videlicet eorum, qui totum Definitorium constituunt, et Scrutatorum electionibus; item cum iure suffragii in aliarum rerum tractationibus et definitionibus. Hi tot erunt quot Ordinis Provinciae: porro quaelibet Provincia mittat unum Socium seu Discretum ad Capitulum generale.

51. Socii seu Discreti munere nemo fungi valeat, qui aetatis trigesimum tertium, a prima professione decimum annum non compleverit; qui ab obedientia adeo se subtraxerit, ut extra claustra, nulla habita facultate, ad mensem vixerit; qui censura vel infamia iuris affectus fuerit, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam; vel denique qui voce activa sive passiva caruerit sive qb legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi seu particulari. Vocalis Capituli generalis nullo modo in Socium eligi possit.

52. Socios eligendi ratio haec erit: Superioris cuiusque domus ad Socium eligendum destinatae vel, eo impledito, Vicesuperioris partes erunt conventuale Capitulum congregare, idque intra tres menses ante Capitulum generale, post evulgatam indictionem ipsius Capituli generalis.

Superior diem statuet ad Socium eligendum et omnibus, qui eidem electioni interesse debebunt, per literas significabit et, nisi omnes convenerint, electionem differat usque ad ultimam diem, quo tempore nisi ad-

venerint, electio nihilominus fiat, nec absentia alicuius aut mora ullo pacto eam impeditat, aut vitiet. Superiores tamen prospiciant, quantum fieri poterit, ne electio in ultimam diem differatur et, si rationabili causa differenda esset, ut inchoetur matutino tempore ultimi diei.

53. Huic Capitulo intererunt omnes et singuli sollemniter professi sacris ordinibus initiati, dummodo suffragii ius habeant ad normam n. 614 harum Constitutionum. Praeter hos accedent Procuratores, si qui erunt missi a locis eiusdem Provinciae domui electionis subordinatis.

54. Scrutatores tres in electione Sociorum eligentur per vota secreta: colligent vero schedulas et vota in Scrutatorum electione Superior et duo professione maiores ex electoribus ipsis.

Scrutatores deputati, priusquam munus incipient exercere, iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in Comitiis, etiam expleta electione.

55. Electores singuli singulas pagellas habeant eodem chartere conscriptas, in quibus nomina et cognomina omnium Patrum, ex quorum numero eligendus erit Socius, sint adnotata. Tum loci Superior, mox Scrutatores, deinde reliqui servato professionis ordine, praestito prius iuramento de non eligendo se ipsum, sed quem secundum Deum eligendum esse existimaverint, schedulam a se electi, prout infra de electionibus Capituli generalis praescribitur, in cadiscum mensae impositum iniicient. In quem plura suffragia consenserint supra dimidium, is electus declarabitur. Quod si nullus debitum suffragiorum numerum tulerit, calculis iuxta professionis ordinem supponentur omnes in sche-

dulis nominati, et qui plures calculos supra dimidium habere comperietur, Socius ille pronuntiabitur.

56. Nemo vero suffragii passivi iure in Sociorum electione gaudebit, qui non sit filius eius Provinciae, ubi electio habenda est. Si quis cum obedientia Superiorum ex sua Provincia ad alienam migraverit, is nihil minus eodem iure in sua Provincia fruatur, sed in ea tantum.

57. Quod si alicui, ab obedientia de familia deputato vel diuturnis et publicis negotiis Superiorum auctoritate sibi impositis detento, a sua Provincia vel, licet in sua Provincia, a sua tamen domo abesse contigerit et adesse in ea domo, quae ad Socii electionem immediate cum omnibus votis concurrit, is, firmo suo suffragii passivi iure, de quo in numero praecedenti, eamdem vocem activam obtineat, quae pertinet ad Religiosos illius domus, in qua degit, dummodo ibi a quatuor saltem mensibus ante tempus electionis commoretur; secus concurrat per Procuratorem eligendum ex gremio illius Capituli.

58. Caveant Superiores, ne a Definitorio designatos in uno loco ante factas Sociorum electiones ad alium mittant sine urgenti causa.

59. Provinciales et Proprovinciales in uno tantum loco suae Provinciae ad Socii electionem concurrant.

60. Pater generalis ferat suffragium in quocumque collegio seu domo, Secretarius illius in uno loco tantum.

61. Qui in una domo suffragium tulit, etiam si ad aliam transmigret cum obedientia, Socii tamen electioni non intersit.

62. Qui Procuratorio nomine suffragium ferent, literas procriptionis fidem facientes Superiori loci, ubi electio Socii peragenda erit, non nisi electionis tempore

aperiendas tradent et sedebunt tamquam ex familia, habita professionis ratione, neque eorum aliquis duplici, sed unico tantum suffragio utetur.

63. Facta electione, Superior loci statim rem Praeposito generali per literas significabit, apposita nota eorum omnium, in quos suffragia ferenda erant.

64. In dubiis circa electionem Socii, quae occurrere possunt tam in ipsa electione, quam ante vel post, Praepositus generalis cum tribus ex Senioribus Patribus Definitorii pro sua prudentia decernat et caveatur, ne fiat suppletio suffragiorum. Idem in aliis difficultatibus, quae possunt suboriri in huiusmodi electionibus, statutum sit, cui omnes acquiescere debent.

65. Loca, quae ad Socium eligendum quacumque ratione convenerunt, ad viaticum Socio erogandum, quantum pecuniae satis erit, singula pro rata conferent.

66. Locorum designatio pro Sociis eligendis, in quibus videlicet facienda sit electio, in eo Definitorio praescribetur, quod Capitulum generale immediate preeDET. Si Definitorium id non praestiterit, Praepositus generalis vel, eo graviter aegrotante, demortuo vel impedito, Vicarius generalis cum duobus Definitorii Patribus suppleat. et quicquid in hac locorum designatione decretum fuerit impugnare nemo audeat.

67. Si contingat aliquem electum in Socium ad Capitulum accedere non posse, re per literas Praeposito generali significata, detur electoribus facultas alium eligendi, si id fieri commode poterit, vel nullus adveniet, ad iudicium Praepositi generalis.

68. Qui vero in Socios electi fuerint, ii priusquam Comitium ingrediantur, suae electionis testes literas a Cancellario loci, ubi electio facta fuerit, scriptas et sigillo munitas. Praeposito generali et iisdem tribus Senioribus, de quibus supra n. 64, exhibebunt. Horum par-

tes erunt diligenter examinare, sintne huiusmodi literae fide dignae et an Socii ulla ex praescriptis conditionibus careant; et ubi defectum animadverterint, eos a Sociorum functione reiicient, eoque casu tota, quae illis competit, eligendi facultas, ad Capitulum generale ipso iure, et facto translata censeatur: caveatur tamen ne fiat supplementum suffragiorum.

## CAPUT V.

### DE TEMPORE AC LOCO CAPITULI GENERALIS, ET PRECIBUS PRO EO FUNDENDIS.

69. Capitulum generale tertio quoque anno, vel quoties novum Generalem eligere oportebit, dominica prima mensis Augusti celebrabitur, vel quam primum post ipsam dominicam, iudicio Praepositi generalis et Definitorii, quod per literas significabitur et eo casu prorogatae censeantur omnes Dignitates usque ad novam electionem, quae fiet cum primum commode poterit.

70. Locus erit unum ex nostris collegiis anno proximo ante ipsa Comitia a Definitorio constituendum. Quod si ex aliquo inopinato casu locus a Definitorio designatus minus opportunus aut commodus reddetur, alius a Praeposito generali et Consiliariis nominabitur, ita tamen opportune, ut de huius secundi loci electione omnes Capituli generalis Patres et Superioris locorum certiores fieri possint. Quod idem statutum sit de loco Definitorii.

71. Omnes locorum Superiores, per mensem antequam Comitia habeantur, sedulo current, ut quicumque ex nostrae Religionis instituto vivunt, quotidie precibus et sacrificiis Patres adituros Comitia Deo commendent. Clerici et Laici Officium parvum Spiritus Sancti vel coronam beatae Virginis a dicto tempore usque dum Comitia dimittantur, quotidie recitabunt:

Sacerdotes aut missam de Spiritu Sancto, Superioris iudicio, frequenter celebabant, si ritus permittat, aut singulis missis, cum ex Ecclesiae ritu fieri poterit, addent Collectam de Spiritu Sancto. Sabbato praecedente Comitiorum diem ieunabunt universi: et toto Comitiorum tempore in omnibus nostri Ordinis ecclesiis missam de Spiritu Sancto singulis diebus non impeditis Sacerdos aliquis celebabit et in iisdem feria secunda post dominicam primam, quae celebrationi Capituli generalis initium faciet, si pariter ritus permittat, missa de Spiritu Sancto sollemniter decantabitur; Clerici Laicique nostri sanctissimum Eucharistiae sacramentum de manu celebrantis eodem die accipient: ab omnibus fundentur devote orationes pro felici initio, et exitu Capituli generalis: mane, et vespere post mentalem orationem dicentur Litaniae Sanctorum cum solitis precibus et orationibus de Spiritu Sancto et de beata Virgine, pro Praelatis, pro Congregatione et Familia, pro quacumque necessitate. Opportunum valde erit quemlibet iudicio Superioris et Confessarii hoc praesertim tempore orationibus addere ieunia vel quamlibet aliam carnis macerationem, ad divinam opem implorandam. Confessarii nostri suos poenitentes ad pietatis, et religionis exercitia inflammat, quo multiplicatis intercessoribus Spiritus Sancti virtus et gratia facilius Nostris concilietur.

72. Procurator generalis plenariam indulgentiam a Summo Pontifice conabitur impetrare visitantibus ecclesiam collegii, in quo Capitulum generale celebabitur.

## CAPUT VI.

### DE ELECTIONIBUS IN UNIVERSUM AC DE SUFFRAGIIS FERENDIS.

73. In electionibus omnibus illud in mentem revocent Patres nostri, universi Ordinis commodum, et incommodum ad se deferri. sibique utcumque acciderit, acceptum esse referendum. Quapropter conspirantibus animis et, quantum in ipsis est, ad Dei voluntatem compositis, illos semper eligere studeant, quos pietate charitateque in Deum, et proximum, studio in Ordinem, prudentia, et scientia caeteris digniores esse noverint, idque sibi praestandum tunc temporis intelligent, quod, si extrema vitae hora immineret et ad iustissimi Iudicis tribunal sisti contingeret, praestitisse quisque peroptaret.

74. Verum, ut recto sinceroque animo ad eligendum accedentes, quae in eligendis necessario virtutes requirantur, non ignorent, a Cancellario ante singulorum Officialium electionem ea legi mandamus, quae in Constitutionibus de ipsis. atque ipsorum officiis respective, decreta sunt.

75. Si quem tamen lateat, an unus aut alter magis minusque idoneus sit, huic liceat electores percontari, eo solum animo, ut in eorum, quorum fieri possit electio, qualitatum ac meritorum cognitionem deveniat.

76. Caveat autem unusquisque a directa, vel indi-

recta suffragiorum procuratione, tam pro se, quam pro aliis.

77. In singulis electionibus, tam in Capitulo generali, quam in Definitorio faciendis, antequam ad electionem deveniatur, omnes et singuli e Capitulo iure iurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint; in quo iure iurando Scrutatores praeterea affirment se munus fideliter impleturos ac secretum servaturos circa acta in Comitiis, etiam expleta electione.

78. Nemo eligentium suffragium, quod in quempiam fert, alteri indicet: non tamen ex singularis suffragii manifestatione electio vitiata existimetur; quod idem observetur in electione Sociorum.

79. Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1º liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures siunctive;

2º secretum, certum, absolutum, determinatum. Conditiones autem ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censentur.

80. Etiamsi integra res sit adhuc, neque dum electio promulgata, nemini tamen liceat schedam semel in urnam illatam revocare aut suffragium commutare, quacumque protestatione posthabita.

81. Electiones nocturno tempore numquam fiant.

82. Nemo, quamvis legitimis curis alibi distentus, proprii suffragii ius alteri demandet.

83. Si, electione iam legitime inchoata et non accepta publicari, advenerint alii, ad electionem cum caeteris persequendam admittantur: nihil tamen propterea innovetur.

84. Si quis hora ad convenientum constituta et

dato campanulae signo non adfuerit, is pro absente habebatur, et electiones nullo pacto vitiet.

85. Si quis vero Vocalium morbo aliquo detentus fuerit in collegio, ubi Capitulum habebitur, nisi is coram Cancellario et duobus praeterea Vocalibus voto suo cesserit et renuntiaverit, eum adire debeant unus ex Scrutatoribus, et Cancellarius cum capsula perforata in superiori eius parte, sed inani, et palam a Scrutatoribus prius aperta, postea clausa, cuius capsulae clavis super mensa Comitii reponatur, ac secum quinque, aut sex pagellas, in quibus nomina et cognomina Vocalium sint impressa, infirmi nomine deleto, ad illum deferre: ipse vero infirmus secrete schedulam, in qua sit nomen, et cognomen eius, quem voluerit eligere, resecabit, complicabit et praemisso iuramento ab electoribus praestari solito, in capsulam per rimam coniiciet. Quod si infirmus per seipsum haec peragere non possit, unus ex Vocalibus illius arbitrio deligidus, praestito de secreto servando in manibus Praesidis iuramento, predicta faciet omnia: quibus peractis, recta, neque alio divertentes, in Comitium revertentur cum capsula, quam Scrutatores caeteri aperient, schedulam eduent, in urnam iniicient. Si plures erunt infirmi, idem praestabuntur, schedulis tamen enumeratis, antequam in vas iniificantur. Per calculum autem aegrotus primus omnium suffragium feret in solitum cadiscum. Quod si extra illud collegium quispiam aeger fuerit, is absens censatur.

86. Qui electioni praesentes aderunt, iis proprio voto activo renuntiare non liceat, tametsi aliter sentiant, quam decerni viderint, sed moderationem animi praeseferentes cum maiori parte sentire non aegre ferant.

87. Si Vocalis quispiam quavis ex causa, etiam

necessaria, electionum tempore Comitio exeat, et si votum non dederit, electio ab aliis Capitularibus facta aut decretum aliquod statutum, ratum, ac legitimum sit. Quod si ante electionis finem, aut decreti alicuius promulgationem redierit, dummodo vota tam in electione, quam in decretis non sint copta publicari, suffragii iure et ipse utetur.

88. In suffragiis ferendis Praepositus generalis non secus, ac reliqui, unico calculo utatur: ubi tamen aequalia in aliquem conspirarint suffragia (electionibus a toto Capitulo generali faciendis exceptis) postquam iam iterum ad calculos deventum fuerit, tum dupli utetur suffragio.

89. Si quid in ferendis suffragiis aut in iam latis controversiae fuerit ortum, Praepositus generalis, vel Praeses, Scrutatores, et tres professione antiquiores diriment et calculis definient, ita ut quod pluribus visum fuerit, id fiat. Quod si in electione Praepositi generalis aliquid huiusmodi acciderit, Capitulum decernet, et illius decreto acquiescent omnes.

90. Qui electus fuerit, is Provinciam tamquam sibi a Domino impositam non detrectet, sed aequo animo suscipiat, nec ulla cuiusquam excusatio admittatur, nisi a duabus Capituli, si a Capitulo, vel Definitorii, si a Definitorio electio facta fuerit, partibus sit approbata.

91. Electus quisque ex Constitutionum praescripto eo ipso confirmatus habeatur, nisi impedimento aliquo canonico illum detineri Praeposito generali et Vicario innotuerit.

92. Nullum cuiuspam ex maioribus Officialibus munus cessare censeatur, nisi cum paulo ante novam cuiusque Officialis creationem Cancellarius, Praepositi generalis iussu, de electione facienda omnes admo-

nebit, et ad ipsam advocabit. Tunc enim eo ipso dignitates illae cessabunt.

In Capitulo generali congregato, servatis iis omnibus, quae supra. n. 12. praescribuntur, praeter Praepositorum generalem, ut infra, eligentur etiam reliqui Definitorii Officiales, quorum quilibet si unam eiusdem Definitorii dignitatem obtinuerit ad triennium, eo expleto, ad aliam vel etiam ad eamdem iterum eligi poterit, quoties bonum Ordinis id postulet, ut supra n. 15 dictum est.

93. Si quem autem Officialium maiorum intra triennium a die electionis aut vita decedere aut ob infirmam valetudinem, aut aliquod impedimentum ad munus suum obeundum ineptum reddi contigerit, alias in illius locum a Definitorio proxime sequenti sufficiatur cum duabus suffragiorum partibus, qui eius, in cuius locum est suffectus, vices tam in munere quam in loco et temporis, quod superest, decursu sustineat.

94. Si, generali Capitulo durante, aliquis ex maioribus Officialibus officio suo fungi nequiverit, a Definitorio eligatur alter, qui impediti vices subeat.

95. Electio Praepositi generalis, cum duabus ex tribus partibus votorum fiat, reliquae omnes cum maiori supra dimidium respective.

96. Dum in aliquem suffragia feruntur vel de eiusdem causa agitur, is ea vice a suffragatione abstineat; Capitulo, vel Definitorio exeat, nec non illius propinquai in primo et secundo gradu inclusive; quod servandum erit in qualibet electione aut suffragatione, etiam Capitulorum collegialium.

97. Calculi, qui pro electionibus in cadiscum inferuntur, cum inde extrahuntur, a solis Scrutatoribus videantur, non ab aliis electoribus.

98. Omnia electionis acta ab eo, qui Actuarii mu-

nere fungitur, accurate describantur et saltem ab eodem Actuario, Praeside ac Scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario seu actorum libro diligenter asserventur.

99. Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur.

## CAPUT VII.

### DE RATIONE ELIGENDI PRAEPOSITUM GENERALEM.

100. Tertio quoque anno eligitur Praepositus generalis, qui universo praesit Ordini; confirmationi vero eiusdem, seu novae electioni locus ultra primum trienium, ad alterum solum proxime sequens poterit esse. Modus ac ratio illius eligendi haec erit.

101. Die lunae mane Praepositus generalis vel, si absit, Vicarius generalis missam de Spiritu Sancto, si ritus permittat, celebrabit, cui omnes qui in eo collegio sunt, intersint, praecipue vero electores.

102. Pulsata deinde campanula, omnes qui in collegio aderunt, Sacerdotes, Clerici, Laici in chorum convenient et Clericorum uno praefereunte crucem, a choro per ecclesiam, ut in processionibus fieri solet, ad Comitium proficiscentur superpelliceis induti. Praepositus generalis, alba, stola et pluviali coloris diei, medius inter Vicarium generalem et Procuratorem generalem vel, si erit Vicarius generalis, inter Procuratorem generalem et professione antiquiorem incedet, decantando hymnum « *Veni Creator Spiritus* », alternis choris, eo ordine ut qui in electorum numerum non sunt adscripti, praeeant, tum Socii, deinde Vocales. Cum ad Comiti fore ventum fuerit, Praepositus generalis et electores, depositis pluviali et superpellicis, Capitulum ingredientur et fore obserabuntur. Ianitores

duo semper assistent, procul tamen a foribus: reliqui ad chorum revertentur, ubi precibus incumbent usque dum electioni finis imponatur, exposito interim in altari maiori sanctissimo Eucharistiae sacramento.

103. Electores Capitulum ingressi ante Iesu Christi crucifixi imaginem procumbent in genua: tum Praepositus generalis antiphonam inchoabit:

*Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium,  
et tui amoris in eis ignem accende.*

*V. Emitte Spiritum. tuum et creabuntur.*

*R. Et renovabis faciem terrae.*

*V. Domine exaudi orationem meam.*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*V. Dominus vobiscum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.* Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

*Oremus.* Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos, et super congregations illis commissas Spiritum gratiae salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum cisis rorem tuae benedictionis infunde.

Mentes nostras, quae sumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus, quae agenda sunt, et quae recta sunt, agere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

*Antiphona.* Sub tuum praesidium configimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

*V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*

*R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

*Oremus.* Defende, quae sumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis.

Deus misericordiarum Pater, per merita et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adiutorem et patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. Per Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

104. Quibus persolutis, protinus illius cessare munus censeatur. Itaque sigillo in manu Vicarii deposito (qui Vicarius hoc ipso Praesidis officio et nomine gaudeat ea prorsus potestate, quae in Praeposito generali potest esse summa) in ordinem redactus ad locum sibi ex professione debitum accedat. Quod si ad Vicarium generali spectaverit Capitulum convocare, is nihilominus Praesidem aget et in suo munere ac loco perseverabit.

105. Priusquam vero ad Praepositorum generalem eligendum deveniant Patres electores, si quid statuendum erit ad ipsius vel maiorum Officialium personas, iura, modum procedendi et ad electiones attinens, hic erit locus. Tum electio fiet hoc modo.

106. Urnula super mensa in capite Comitii posita de more statuatur, tum singulis electoribus tam Vocalibus, quam Sociis quinque aut sex pagellae, in quibus impressa sint nomina et cognomina Vocalium omnium Capituli generalis, a Cancellario distribuentur, deleto in unaquaque nomine et cognomine illius, cui assignabuntur. Mox tres Scrutatores per vota secreta elegentur a Vocalibus et Sociis, qui debeat inservire pro electoribus quorumcumque maiorum Officialium; ita tamen ut neque in Praesidem neque in Cancellarium eorum electio cadat. Vota autem illorum, qui Scrutatores ipsos

eligent, accipient Praeses Capituli, Cancellarius et Vocalis senior professione.

107. Scrutatoribus electis, Praeses ad mensam consistet medius inter ipsos et Cancellarium, quem statim iubebit alta voce pronuntiare:

*In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris et Fili et Spiritus Sancti, ad Praepositum generalis nominationem et suffragia ferenda unusquisque ex ordine accedat.*

108. Surget deinde Praeses, qui ante sanctissimam Christi Crucifixi imaginem genibus flexis signo Crucis primo se muniens iureirando se obstringet in haec verba:

*Ego N. N. Praeses et elector testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me una schedula in Praepositum generale eligere eum, quem secundum Deum iudico eligi debere, non tamen me ipsum.*

109. Tum propriam schedulam, qua nomen et cognomen a se electi contineatur, complicatam, ac duobus digitis coram Scrutatoribus sublatam in urnam immitet, deinde ad propriam sedem revertetur: idem nulla interiecta mora praestabunt Scrutatores sigillatim, iuxta sequentem formulam:

*Ego N. N. Scrutator et elector testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me una schedula in Praepositum generale eligere eum, quem secundum Deum iudico eligi debere, non tamen me ipsum, meque hoc Scrutatoris munus fideliter impleturum et secretum circa acta in Comitiis, etiam expleta electione, servaturum.*

110. Unusquisque deinceps ex electoribus, servato professionis ordine ad eamdem mensam accedit et genibus flexis signo Crucis sibi prius impresso, iurabit his verbis:

*Ego N. N. elector testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me una schedula in Praepositum generale eligere eum, quem secundum Deum iudico eligi debere, non tamen me ipsum.*

Et statim surgens complicatam schedulam et duobus digitis coram Scrutatoribus sublatam in urnam iniciet ac proprium repetet locum.

111. Interim Scrutatores current ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur. His ab unoquoque praestitis, Scrutatores suffragia ex urna educant et coram Praeside Capituli inspiciant an suffragiorum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur, singulos nominatos cum numero suffragiorum in sua pagina describant, palamque faciant quot quisque retulerit.

112. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

113. Quod si duae ex tribus partibus electorum in unum aliquem consenserint, is legitime electus censeatur atque illico Praeses decretum electionis his verbis conficit:

*In legitima congregacione die N. mensis N. anni N. in civitate N. vel oppido N. in collegio N. habita, secundum rationem praescriptam a nostris Constitutionibus. Ego N. N. Praeses huius Capituli, Spiritus Sancti gratia invocata, in Praepositum generale Ordinis Clericorum Regularium a Somascha, electum declaro Reverendissimum Patrem N. N.*

114. Quod decretum a Praeside, Scrutatoribus ac Cancellario subscriptum et Ordinis sigillo obsignatum, Praeses statim promulgabit, nisi is fuerit electus; tunc enim promulgandi munus erit Patris vocalis prima professione senioris.

115. Sin autem praedictum suffragiorum numerum nemo attigerit, ad calculos deveniatur. Scrutatorum ultimus omnes in schedulis nominatos alta voce recitat. et ab eo, qui professione fuerit senior, suffragationis fiet initium: ille, in quem a caeteris feruntur suffragia, a ferendo suffragio interim abstinebit et Capitulo egredietur. Cancellarii munus erit cadiscum circumferre, singulos calculos singulis electoribus distribuere et postquam ipse primus omnium calculum immiserit, a Praeside et a Scrutatoribus primum, deinde a caeteris, servato professionis ordine, recipere, tum ad Scrutatores cadiscum praedictum referre, qui eductos calculos enumerabunt, cum numero electorum conferent. et numerum exscribent, nec illum tamen evulgabunt, nisi post omnium suffragationem. Dehinc caeteri, quicumque nominati fuerint, calculis subiicientur et singulorum numerus adnotabitur a Scrutatoribus.

Qui autem pluribus calculis numerum ad electionem necessarium duarum partium superaverit respetive, is erit Praepositus generalis. Quodsi in duos simul aequalia suffragia convenerint, maior professione, et inter aequales professione, maior natu electus censatur.

Cancellarius dum cadiscum circumferet, dum suffragia distribuet, et colliget, verbis omnino et nutibus abstineat, sed demissis in terram oculis, erigat mentem in Deum, ab eoque lumen, et opem singulis imploret.

116. Sin praedicta ratione nullus electus reperietur, ad suffragationem iterum regrediendum erit, eodem omnino quo supra servato modo: quod si adhuc res infecta sit, praetermissis iis qui non plura quam quatuor suffragia habuerint, reliqui omnes ad calculorum iudicium revocabuntur, initio ducto ab eo, in quem plura antea lata fuerint suffragia; quod si ne hac qui-

dem ratione finis electioni imponi possit, Patres electores ad quartam partem horae orationi incumbent, deinde supradictis ad suffragia servato eodem ordine revocatis, si ne hac quidem ratione electio successerit, nova per schedulas fiet nominatio, praedictis omnibus atque praescripto ordine servatis.

117. Electus vero Generalis, medius inter Praesidem et Scrutatorem maiorem, detecto et ad sanctissimam Christi imaginem converso capite, assurgentibus omnibus ac stantibus, et ipse consistet. Tunc Praeses inchoabit hymnum « *Te Deum laudamus, etc.* » et prosequentur reliqui usque ad finem. Quo recitato, addet:

*V. Confirmata hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

*R. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

Ter autem hic Vers. cum suo Resp. repetetur. Tum subiicietur:

*V. Domine exaudi orationem meam.*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*V. Dominus vobiscum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus, est thesaurus, piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

118. Post haec, coram Praeside et Scrutatoribus stantibus, genibus flexis ante sanctissimam Christi imaginem, professionem fidei emittet, secundum formulam a Sede Apostolica probatam.

Interim Comitii ianitoribus de electione admonitis, eorum alter ad tintinnabulum accurrens signo dato Collegiales convocabit: novus Generalis vestibus induetur sacris, electores superpelliceis, ut initio est factum,

Cruce praeeunte, omnes eodem ordine, quo in ingressu, a Comitio in ecclesiam et illam circumeuntes, ut fit in supplicationibus, ad altare maius prodibunt decantantes alternis choris canticum Zachariae « *Benedictus Dominus Deus, etc.* ».

119. Postea Praepositus generalis genibus flexis mediis adhuc inter Praesidem et maximum Scrutatorem silentio aliquantis per orabit, recondito prius sanctissimae Eucharistiae sacramento: deinde manu lapidi sacro admota iurabit in haec verba:

*Ego N. N. servus Dei et indignus Praepositus generalis Ordinis Clericorum Regularium a Somascha testem invoco Deum, quod Ordinem pro viribus meis iuxta ipsius Constitutiones factas et canonice facientes administrabo.*

Tunc Praeses ei tradet sigillum et eo ipso Praepositus generalis confirmatus censembitur: Praesidis vero officium protinus cessabit.

120. His peractis, sedebit Praepositus generalis capite cooperto in sella sibi in cornu Evangelii collocata, ubi post Vicarium generalem et maximum Scrutatorem, qui tunc temporis ipsi Praeposito generali assistent, Vocales omnes et Socii, professionis ordine servato, genibus flexis ipsum reverenter amplectentur, et eius dexteram in obedientiae testimonium osculabuntur: Collegiales vero et domestici omnes extremam anteriorem partem pluvialis. Mox chorum ingressi exuent se superpelliceis atque eo mane si contigerit electio, nihil praeterea agetur in Comitiis, ut ad caeteras electiones oratione praeparare se valeant electores, nisi Praepositus generalis ibidem in templo, aut in Comitio sermonem habere voluerit.

## CAPUT VIII.

### DE ELECTIONE MAIORUM OFFICIALIUM AC DE RATIONE FERENDI SUFFRAGII IN IPSA.

121. In primo congressu, post Praepositi generalis electionem, ad caeteros Capituli generalis Officiales eligendos deveniatur; et primum quidem Vicarius generalis, deinde Procurator generalis, mox Praepositi provinciales, postremo Cancellarius creabuntur.

Consiliarii Praepositi generalis, quamquam Officiales non sint, nec eorum munus dignitas habenda, tamen a Capitulo generali post electiones canonicas, quas supra diximus, statim eligendi erunt, ut infra n. 328.

122. Scrutatores in horum Officialium electionibus erunt iidem, qui in Praepositi generalis electione fuerunt.

123. Constituta igitur hora Capitulo de more convocato atque ex Constitutionum libro a Cancellario lectis, quae ad electionem et officium Vicarii generalis spectant, electores ab eodem Cancellario advocabuntur his verbis:

*In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad nominationem Vicarii generalis et suffragia ferenda unusquisque accedat ex ordine.*

124. Quo dicto, Vicarius sigillum Praeposito generali tradet, et ad locum suae professionis redibit. Tunc Praepositus generalis ante sanctissimam Christi Crucis

fixi imaginem accedens genuflexus iurabit in haec verba:

*Ego N. N. Praepositus generalis testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me in unaquaque maiorum Officialium electione, una schedula illos eligere quos secundum Deum iudico eligi debere.*

125. Tum surgens Praepositus generalis schedulam, in qua nomen et cognomen a se electi scriptum sit, involutam, et duobus digitis coram omnibus prius sublatam in urnam iniicit, mox ad propriam sedem revertetur. Idem prorsus praestabunt Scrutatores, sic iurantes:

*Ego N. N. Scrutator et elector testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me in unaquaque maiorum Officialium electione, una schedula illos eligere, quos secundum Deum iudico eligi debere, non tamen me ipsum, neque hoc Scrutatoris munus fideliter impleturum et secretum servaturum circa acta in Comitiis, etiam expleta electione.*

126. Caeteri electores singuli suam schedulam coram Scrutatoribus in urnam immittent, flexo prius ad terram genu ante Crucifixi imaginem, in hunc modum praestito iuramento:

*Ego N. N. elector testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me in unaquaque maiorum Officialium electione, una schedula illos eligere, quos secundum Deum iudico eligi debere, non tamen me ipsum.*

127. Socii idem praestabunt. Quod cum omnes respective praestiterint, Scrutatorum minimus, coram Praeside et reliquis Scrutatoribus schedulas ex urna eductas numerabit, quas Scrutatores perlegent et singulos nominatos cum suffragiorum numero adnotabunt. Si in unum aliquem suffragia requisita cum maioritate absoluta consenserint, ille electus censeatur. Si vero

necessaria ad legitimam electionem in neminem lata fuerint, electio ad calculos revocetur, sicut de Praepositi generalis electione traditum est.

128. Tantum cadiscus, in quem iniiciendi sunt calculi, non a Cancellario, sed ab uno ex electoribus, quem Praepositus generalis ad id delegerit, circumferetur: nec huic interim liceat quempiam alloqui sive gestibus vel nutibus allicare.

129. Atque haec scrutinii et suffragii ferendi ratio in caeterorum etiam Officialium electione omnino servetur.

130. Ubi maiorum Officialium electiones expletae fuerint, earum acta a Cancellario in librum Actorum Capituli generalis accurate relata, sequenti die, interventu Sociorum, in Capitulo alta voce perlegentur et ab eodem Cancellario, Praeside ac Scrutatoribus subscribantur; quo facto electiones ipsae confirmatae habentur.

131. Deinde omnes electi coram Praeposito generali, genibus flexis, professionem fidei emittent ad praescriptum sacrorum canonum.

132. Socii vero, si quas literas a subditis locorum suae electionis acceperint, aut aliquid aliud, quod ad eosdem spectet, Definitorio proponendum in mandatis habuerint, fideliter consignent et referant.

---

---

CAPUT IX.

## QUALIS ESSE DEBEAT PRAEPOSITUS GENERALIS.

133. Qui in Praepositum generalem est eligendus, quadragesimum aetatis annum et a prima professione decimum excedat oportet, ex legitimo matrimonio et honestis parentibus natus sit, nulloque obstrictus impedimento canonico, caeteris gaudens requisitis ad normam harum Constitutionum ut in nn. 45, 46, 47, valitudine bona et firmis utatur viribus, ut communem vivendi modum, labores assiduos et onus cum honore coniunctum sustinere queat, zelo disciplinae regularis tuendae et promovendae ferveat, quem apud nos religiosa consuetudine et imperando et obediendo satis expresserit.

134. Praeluceat aliis charitate in omnes, sed praecipue in pueros orphanos, item bonitate et scientia, ut qua privatis, qua publicis cohortationibus monere, corrigere subditos possit et apud caeteros mirabilem sapientiae pietatisque odorem diffundere.

135. Veram sinceramque animi humilitatem cum auctoritate et gravitate coniunctam habeat, severitatem humanitate condiat, omnibus perturbationibus animi ita sit liber, ut quos correxerit et admonuerit subditos, illi libenti animo eius monita et correctiones excipient.

136. Eumdem eximio a natura instructum esse ingenio, rerum usu perfectum, vita irreprehensibilem,

bonorum Ordinis nostri fidelissimum, omnium voce probatum administratorem, orationi quam maxime dedicatum desideramus.

137. Magnanimitatem animique fortitudinem eiusmodi praeseferat, ut non ita facile de recta sententia moveatur, nec humilitatis aut mansuetudinis specie sua monita vel iussa negligi permittat.

138. Tandem deformitate membrorum non laborret, sed praestet potius dignitate formae et, quod praecipuum est, omni virtutum genere ita excellat, ut sit exemplar et norma, ad quam caeteri se conforment. Verum, sicut haec omnia in uno inesse optabile esset, ita saltem contendunt electores, ut eum ad supremam Ordinis dignitatem promoveant, qui ad ea quam proxime accedat, quique, omnibus perpensis, magis idoneus sine ulla personarum acceptione ac secundum Deum eligendus esse existimatur.

---

## CAPUT X.

## DE MUNERE ET AUCTORITATE PRAEPOSITI GENERALIS.

139. Quoniam Praeposito generali gravissima et maxime omnium ardua provincia imposta est, ut scilicet animas fidei, potestati prudentiaeque suae commissas ad summum perfectionis fastigium pro humanae naturae imbecillitate, et verbo, et exemplo dirigat, eum nihil habere antiquius par est, quam omnes rationes persequi, quibus existimet ad id, quod maxime velle debet, perveniri facile posse, rerum etiam temporalium cura non posthabita.

140. Quocirca Constitutiones ac decreta, tum auctoritate, tum exemplo ita ubique observanda curabit, ut hortando, monendo, opportune, importune, pro naturae, ingenii morumque diversitate et virtutibus, quibus animorum morbi depelluntur perturbationesque sedantur, inserendis sollicitus, non tam de sua, quam de aliorum salute ante Christi tribunal reddendam esse sibi rationem numquam non cogitet.

141. Praeterea Religionis totius statum, quomodo res in dies se habeant, an disciplinae regularis tenor uspiam remittatur: an Praepositi et Rectores suo naverter fungantur officio: an subditorum necessitatibus animae, et corporis paterno affectu prospiciant, identidem ut cognoscat, curabit.

142. Itaque primo sui Generalatus anno universa Ordinis loca per se ipse obibit, et inviset, quo locorum.

ac personarum natura cognita, quae disponenda sunt, facilius ordinare, atque instruere possit. Quod si legitimo detentus fuerit impedimento, eam obibit Ordinis partem, quam poterit, reliquam in proximum annum reiicet atque interea a Superioribus de natura, genio et ingenio subditorum curabit edoceri ipseque in libello, quem apud se servabit, et secum deferet, notatu digna adnotabit.

143. Quoties autem ad aliquem ex nostris locis Praepositus generalis visitationis gratia pervenerit, omnes adeuntem in ecclesiam comitentur, ibique « *Te Deum laudamus* », recitabunt.

144. Excepto visitationis tempore, in eo Ordinis nostri collegio, quod sibi in suae residentiae locum delegerit, commorabitur.

145. Ipsius erit notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis, quae Religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.

146. Item quae in Capitulo generali vel Definitorio constituta fuerint, ea curet ad sensum et voluntatem eorumdem Patrum, etiam tempore, modo et reliquis circumstantiis exequenda.

147. Constitutiones et Capitulorum generalium vel Definitoriorum decreta, privilegia, concessiones, facultates a Summis Pontificibus Ordini nostro impertita in promptu habeat.

148. Caeterum ipsius Praepositi generalis auctoritas tanta erit, quanta ex iure et ex privilegiis, iis exceptis, quae Constitutionibus nostris, ac Decretis Capituli generalis adversantur, conceditur.

149. Nemini Religionis habitu indui aut ad novitiatum vel ad subsequentem professionem tam temporariam quam perpetuam admitti; ad sacros Ordines promoveri; nemini Concionatoris, Lectoris, Confessarii,

vel Parochi personam sustinere liceat, servatis de iure servandis, sine ipsius Praepositi generalis expressa facultate, quam tamen ipse poterit Superioribus ipsis, vel aliis, prout expedire animadverterit, delegare; facultatem vero admittendi postulantes ad novitiatum, novitos ad professionem et professos ad renovandam professionem vel ad professionem sollemnem solis Praepositi provincialibus, tamquam Superioribus maioribus, possit ipse remittere, servatis de iure servandis.

150. Munus eiusdem erit Capitulum aut Definitorium, quoties res exigere videbitur, cum voto Consiliariorum convocare et dimittere et Constitutionem aliquam declarare.

151. Licebit eidem praeterea extra Definitorii tempus Ordinis nostri personas de loco ad locum transmittere.

152. In obitu, vel diurna absentia Superioris alii-  
cuius aut remotione ab officio, alium in illius locum  
cum voto Consiliariorum substituere, qui Vicarii no-  
mine insignitus ordinariam Superioris auctoritatem ha-  
babit usque ad Superioris adventum.

153. Pro negotiis ecclesiasticis Ordinis Cancellaria-  
rium habeat in officio Notarii a Capitulo generali con-  
stitutum; eidem tamen licebit Sacerdotem aliquem sibi  
a secretis assumere, virum aetate gravem, moribus, pro-  
bitate et scribendi peritia ornatum.

154. Cum Provincialibus et aliis auctoritatem suam  
communicare, eamdem etiam revocare et imminuere  
et rursum ad arbitrium augere integrum illi sit, prae-  
sertim cum illi contigerit necessarium aliquod iter ag-  
gredi, aut ex eorum Provinciis abscedere, ita tamen ut  
quaecumque illi fecerint, si rerum natura id ferat, ap-  
probare possit per se, reprobare autem non possit, nisi  
de Consiliariorum consensu, atque iterum omnia quae-

cumque expedire in Domino iudicaverit, decernere liceat. Cum vero extra Italiam perrexerit, cum omni potestate Vicarius generalis in Italia remaneat.

155. Demortuo vel impedito Provinciali, in Provincialis locum aliquando alium destinare possit, qui Proprovincialis nomen habeat et in munere permaneat usque ad eum conventum, ad quem de iure canonica electio pertinet. Quod si ob aliquam peculiarem causam determinatum Religiosum mittat, hic Commissarii no-  
mine appelletur, et tunc in eam solum causam se in-  
gerat, ob quam missus fuerit.

156. Eiusdem erit negotia graviora Comitiis gene-  
ralibus, aut Definitorio non reservata, de consilio Con-  
siliariorum, si res moram non patiatur, transigere.

157. Item poenas exigere delictis quibuscumque etiam gravissimis debitas, servatis fideliter praescriptis iuris. Eius in potestate sit licentiam dare in casibus de quibus sub nn. 682 et 683 servatisque conditionibus ibidem expressis, ad res alienandas sive ad debita contrahenda vel etiam ad expensas quasdam extraordinarias faciendas; et sine Praepositi generalis licentia non audeat Procurator generalis pro alienationibus faciendis vel contrahendis debitibus ad Sanctam Sedem re-  
currere.

158. Cum Novitiis excedentibus quadragesimum ae-  
tatis annum usque ad quinquagesimum, ut recipi pos-  
sint, eidem liceat dispensare.

159. Quamvis autem in visitatione ipsa pro cuius-  
que loci peculiari gubernatione ordinationes et statuta  
facere non prohibeatur; a rebus tamen novis, quantum  
poterit, abstinebit et ordinationes istiusmodi cum eius  
officio exspirasse intelligantur.

160. Omnibus insuper, et singulis in nostra Reli-  
gione professis in virtute sanctae obedientiae praeci-

pere et censuras ecclesiasticas adhibere ei liceat: utrisque tamen, ut quam parcissime utatur servatisque de iure servandis, etiam atque etiam hortamur.

161. Si ad disciplinae conservationem interesse iudicaverit, ut sibi casus aliquos et censuras reservet id nonnisi de Vicarii generalis et Consiliariorum consilio praestabit, servatis fideliter de iure servandis.

162. Ex eo quod res aliqua interdum moram ad deliberandum non patiatur, in defectu alicuius Consiliarii, fas erit Praeposito generali sibi alios ex Vocalibus, praesertim de Assistantibus generalibus, si adsint, Proconsiliarios eligere; adeo ut, si forte locum residentiae mutarit, eiusdem arbitrio relinquatur alios elegere Proconsiliarios, qui ibidem, ubi is aderit, commorentur; atque iidem in rebus, in quibus agitur de iure tertii, praesertim odiosis, decernere, quod aequum fuerit, suo suffragio possint; in caeteris vero solum id consulere, quod prudentia dictarit.

163. Nisi aliter suaserit iusta causa, duos secum in itinere comites adhibere possit, alterum sacerdotem, qui sit illi a secretis, alterum laicum.

164. Eidem rem sacram facienti duo clerici assistent.

165. Cubiculum unum et alterum religiosa et communis supellectili instructum habeat et Laicum profsum, qui ei deserviat.

Communi victu vestituque contentus sit: si quid tamen circa victus rationem remittere contigerit, eam adhibebit moderationem, ut laboribus, necessitatibus et honori gradus id tribui omnes intelligent.

166. «Reverendissimi Patris Nostri» semper titulo honorabitur a Nostris. Sigillo utetur duplici: grandiori ad publicas scripturas muniendas; minori, quo privatae literae obsignentur: in utroque sit incisa effigies Iesu

Christi crucem gestantis, cum inscriptione «ONUS MEUM LEVE», quod nostri Ordinis stemma esse statuimus: in iisdem haec erunt circumscripta verba: PRAEPOSITUS GENERALIS ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM A SOMASCHA.

167. Expleto sui Generalatus triennio, in proximo generali Capitulo coram tribus Patribus ab eodem Capitulo per vota secreta constitutis, tam impensi, quam accepti rationem reddere teneatur; sicut sui muneris erit quinto quoque anno relationem de statu Religionis ad Sanctam Sedem per documentum mittere, subsignum a se cum suo Consilio.

## CAPUT XI.

## DE MUNERE ET AUCTORITATE VICARII GENERALIS.

168. Vicarium generale, iuxta formam supra cap. II et VIII praescriptam, eligere oportebit virum ea probitate et virtute insignem, quam summa officii cum primaria Ordinis administratione et Praepositi generalis munere coniunctio postulat.

169. Quod si Praepositus generalis primo vel secundo cuiuslibet triennii anno e vita migraret vel alia causa officio cederet, dummodo a die vacationis ad primam dominicam Augusti sexaginta dierum spatium intercedat, Vicarius generalis Capitulum in dictam diem dominicam indicet. Si vero spatium sit brevius, cum voto Consiliariorum et Assistentium respective protrahet servatis, quae in Capituli generalis inductione servanda mandavimus: ita tamen, ut semper praedictum sexaginta dierum spatium intersit et Capitulum post duos menses inchoetur.

Quod si id fieri non possit tunc, in annum sequentem et Vicarii munus prorogatum censeatur et Capituli convocatio ad consuetum tempus differatur.

170. Sed qui Praepositus generalis eligetur, is aut ex Religiosis eiusdem Provinciae sit ex qua defunctus vel alia de causa munere cedens; aut si eligatur ex maioribus dignitatibus (quae iuxta praescriptum Constitutionum n. 12 singulis Provinciis competunt) tunc per-

novam electionem substituatur dignitas, ei Provinciae assignanda, quae aliter nullam obtineret. Item per novam electionem substituendus erit quilibet alias Officiales, qui forte ad Generalatum promoveatur. Quovis tamen casu, sive novus Generalis sive novus Officialis ad explendum incoepsum triennium elegantur, quo exacto et ipsi cum aliis tempus et munus expleant.

171. Si Praepositus generalis e vivis excesserit perdurantibus Comitiis generalibus, ad novam electionem deveniatur.

172. Quotiescumque Praepositi generalis munere Vicarium ipsum generale defungi contigerit, simul cum auctoritate suprema honor, reverentia et obedientia, quae totius Ordinis Praesuli debetur, illi ab omnibus ubique exhibeat tituloque «Reverendissimi Patris Nostri», tum in literis tum in colloquiis a Nostris prae-notetur.

173. Si ipsum Vicarium generale obire vel alia causa officio cedere eveniret, tunc ex Provincialibus professione maximus ipso iure et facto succedet usque ad proximum Definitorium, in quo novus creabitur Vicarius: id quod etiam de reliquarum Definitorii dignitatum electione, in huiusmodi casibus statutum sit. Praepositus provincialis senior qui, saltem per sex menses, Vicarium generale supplet, postea sit perpetuo Adsistens generalis cum titulo «Reverendissimi Patris Nostri».

174. Si uterque Praepositus scilicet et Vicarius generalis mortem obirent vel alia causa officio cederent, tunc ex Provincialibus professione antiquior ipso iure, et facto cum Generalitia auctoritate et honore titulisque, ut diximus de Vicario generali, succedet. idemque in Capitulo generali Praesidis officium, et munus exercebit.

175. Iam vero Vicarii generalis munus erit Capi-

tulo usque ad Praepositi generalis creationem vel confirmationem praesidere: si Praepositus generalis absit, si infirma utatur valetudine, illius personam gerere et vicem sustinere cum omni Praepositi generalis auctoritate. Praeterea, cum sit de iure primus Consiliarius, debebit eumdem Praepositum generalem suo consilio assistere in omnibus rebus, in quibus iure aut Constitutionibus statutum est supremum Ordinis Moderatorum ad agendum indigere consensu vel consilio Consiliariorum.

176. Eiusdem erit visitare loca a Praeposito generali eidem designata ac proinde Visitatoris onus et munus obire, sine praefudicio tamen jurisdictionis Praepositi provincialis; si Provincialium aliquis e vivis ex cesserit aut fuerit impeditus, loca illi subiecta cum ordinaria Visitatoris potestate invisere, nisi aliter Praepositus generalis iustis de causis statuerit; denique ea peragere universa, quae nostrae Constitutiones ad eum spectare decernunt et communicare illi voluerit Praepositus generalis.

177. Sigillum etiam proprium deferat cum insignibus Religionis, quod sequentia verba circumscripta habebit: **VICARIUS GENERALIS ORDINIS CLER. REG. A SOMASCHA.**

## CAPUT XII.

### DE QUALITATIBUS ET MUNERE PROCURATORIS GENERALIS.

178. Electis Praeposito generali et Vicario generali, statim, e gremio illius vel illarum Provinciarum, quae neutram dignitatem obtinuerunt, a toto Capitulo generali et iuxta formam supra n. 12 praescriptam, sumatur totius Ordinis Procurator.

179. Cum vero eius praecipuum munus sit negotia Religionis apud Sanctam Sedem pertractare, in Procuratorem generalem eligere opus est eum, in quo probitas vitae, morum integritas, in negotiis tractandis prudentia, in omnibus naturalis quaedam ingenii dexteritas reperiatur, qui denique eo animo erga Ordinem sit, ut eiusdem negotia magno studio ac fide procuratus esse videatur.

180. Ut autem Ordinis negotia diligent assiduitate tractare valeat, declaramus in iis, quae ad suum munus pertinent, ipsum non esse Superiori locali nec Provinciali subiectum et esse a communibus observantiis immunem.

181. Peculiarem tamen socium Laicum professum notae probitatis, qui loquendi et tacendi tempus prudenter noverit, eidem Superior collegii assignet.

182. Tantum autem habebit auctoritatis, quantum a Patribus universis in generali Capitulo fuerit illi concessum: et prourationis mandatum publice in

Capitulo generali a Cancellario legatur et in librum actorum Capituli generalis referatur.

183. In actu visitationis Visitatoribus et ipse subiectus sit in iis, quae privatas ipsius actiones respiciunt, non in iis, quae spectant ad officium iisdemque accepti et expensi reddere rationem teneatur.

184. Quaecumque concessiones aut Apostolicae litterae pro Ordine, collegio, domo vel privata aliqua persona impetranda erunt: quaecumque lites nostrae et quicumque contractus externi Romana in Curia ineundi ad Procuratorem tantum, praeterea ad neminem attinebunt.

185. Quae vero ad universum Ordinis statum referuntur aut Constitutiones respiciunt, non aggrediatur, nisi habita nominativum a Capitulo generali vel a Definitorio facultate.

186. Nihil praeterea aliud quam quae modo meminimus, nisi approbante et mandante Praeposito generali, praestabit.

187. Excipimus tamen hic, quae ad indulgentias impetrandas pertinere videntur. In quibus ea prudentia se geret Procurator, ut publicum Ordinis commodum privatae semper uniuscuiusque utilitati preeferat.

188. Ordinis nostri professi Urbem adeentes nulli negotio, nisi de Praepositi generalis vel Procuratoris generalis consensu, se immisceant.

189. Si Praepositus generalis rem aliquam consultatione dignam arbitrabitur, Procuratoris rogabit sententiam, qui eam dicet vel scribet et rationibus, quibus ad id sentiendum adducitur, confirmabit.

190. Omnem Ordinis statum exploratum habeat: idcirco, si quid novi in collegiis aut aliis locis acciderit, quod ad illius officium spectare possit, a Superiori

ribus illorum locorum statim per literas eidem significandum erit.

191. Documenta pontificia et instrumenta fundationis, erectionis et acceptationis quorumcumque locorum Ordinis nostri apud se habebit.

192. Rebus iis quam maxime invigilet, quas ad publicam Ordinis utilitatem pertinere animadverterit et per singulos tabellarios in singulas hebdomadas de rerum ac negotiorum statu et eventu Praepositum generalem commonefaciet.

193. Rescriptorum Sedis Apostolicae scripturarumque omnium alicuius momenti, quae in archivo asservantur, indicem conficiet atque omnia distincte et ordine disponet ac custodiet.

194. Summam omnium negotiorum et libellorum supplicum, quae ad ipsum mittuntur eorumque progressum ac exitum in librum referet diligenterque describet et annum, mensem ac diem notabit, quem suo successori fideliter ut consignet, districte preecipimus.

195. Prae oculis habeat commentarium officiale «Acta Apostolicae Sedis» magna cum diligentia documenta quae in dies a Pontifice Maximo et a Sacris Congregationibus eduntur, percurrat, perscrutans ea quae ad Religionem spectare quomodocumque poterunt.

196. Ad eos, qui negotia aliqua ipsi commiserint, eorumdem negotiorum statum atque exitum diligenter et benigne rescribet.

197. Summam pecuniarum, quas a Praeposito generali vel ab aliis Patribus ad res gerendas et negotia transigenda acceperit, nec non sumptus in ipsis factos fideliter ac distincte (a quibus videlicet singillatim pecunias acceperit, quas in res insumpserit et caetera huiusmodi) in libellum referet, ut dati et accepti ratio,

eo etiam absente, subduci possit simulque cognosci quantum ex alterutra parte debeatur.

198. Caveat, ne pecuniam sibi concreditam, Praepositi generalis iniussu, in alia quamvis honesta et utilia impendat et praeterquam in ea, quorum causa a Praeposito generali vel ab alio quovis sibi tradita fuerit.

199. In virtute autem Spiritus Sancti ac praecepto sanctae obedientiae, sub poena etiam privationis officii ipso facto incurrenda et aliis poenis a Definitorio irrogandis, Procuratorem generalem adstringimus, ne literas ulla aut vivae vocis oracula sine expresso Capituli generalis mandato, etiam eiusdem Ordinis seu alio quocumque nomine mediate vel immediate petat, quaerat aut impetrat, quibus Ordinis gubernatio varietur aut alicuius Constitutionis mutatio contineatur, nec huiusmodi literas aut oracula alicui alii impetrare volenti faveat neque ullum praestet consensum: declarantes irritum quidquid secus fieri contigerit.

200. Insuper omnino prohibetur in virtute Spiritus Sancti eodemque praecepto sanctae obedientiae ac sub poena a Definitorio pro modo culpae irroganda, ne testimonia scripta aut testificationes cuiuscumque generis conficiat aut subscribat ad favendam quovis modo collationem Vocalatus.

201. Eundem praecepto sanctae obedientiae adstringimus, ne scripturam aliquam vel processus seu Bullam, Motum proprium aut literas Pontificias seu manu alicuius Cardinalis subscriptas ex Procuratoris archivio tollere et auferre, quocumque praetextu non obstante audeat: quod si facere ausus fuerit, dicto praecepto addatur a Patribus Definitorii privatio utriusque vocis per tempus eorum arbitrio et iuxta culpae qualitatem constituendum.

202. Ut autem Procurator generalis commisso sibi munere fungi valeat, residentiam habitualem in Urbe habeat oportet; nec antequam praescriptum in Constitutionibus tempus expiret, amoveri potest, inconsulta Sancta Sede.

203. Procurator generalis officio functus, si ad aliquam ex maioribus Definitorii dignitatem non eligatur, sit ipso iure per subsequens triennium Consiliarius Provincialis sua Provinciae et Definitorio generali interesse possit cum voto dumtaxat consultivo.

204. Si Procuratorem generalem aliquo casu deficeret contingat, ne publica negotia quidquam detrimenti patientur, poterit Praepositus generalis cum consensu Consiliariorum, unum ex Vocalibus in eius locum cum ea auctoritate, quae sibi videbitur, subrogare usque ad proxime futurum Definitorium, in quo novus Procurator eligetur ad explendum incepsum triennium.

205. Sigillo eodem, quo Vicarius, utetur, verbis sic mutatis: PROCURATOR GENERALIS ORDINIS CLER. REG. A SOMASCHA.

---



---

## CAPUT XIII.

### DE MUNERE ET AUCTORITATE PROVINCIALIUM.

206. Unaquaeque ex Provinciis, in quas Ordo noster divisus est, suum habeat Praepositorum provinciale, qui habeat potestatem ordinariam supra quamlibet domum suae Provinciae.

207. Itaque Capitulum generale, post electiones maiorum dignitatum, ex singulis Provinciis singulos viros idoneos, publicae salutis et Constitutionum servandarum studiosissimos, eligit ad triennium ratione, quae supra praescripta est, quos nullo Praepositi seu Rectoris onere premi, quantum fieri poterit, exoptamus.

208. Ad munus Praepositi provincialis inhabiles sunt qui nostram Religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio nati et annos triginta non expleverunt.

209. Provincialium auctoritas, generatim loquendo, ea est quae Codice J. C. Superioribus maioribus Religionum tribuitur; salva potestate quae sive ab ipso Codice sive hisce Constitutionibus Praeposito generali conceditur;

210. Statuta salutaria, Constitutionibus ac Decretis Capituli generalis vel Definitorii non adversantia, pro bono Provinciae regimine condere; rationes accepti et expensi exigere, diligenti examine percurrere et ra-

tionum libris subscribere; vigilare etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur atque ab aliis executoribus delegatis absoluti muneris rationem expertere;

211. Personas intra suam Provinciam degentes ob necessarium aliquam urgenterque causam, quae moram non patiatur, ad alium eiusdem Provinciae locum destinare;

212. Licentiam praebere Capitulis collegialibus et Superioribus localibus pro expensis extraordinariis faciendis, quae contineantur infra summam quindecim millium libellarum seu francorum; non vero pro contrahendis debitibus aut obligationibus, nisi ad normam praescripti n. 682 harum Constitutionum.

213. Circa pias fundationes in nostris ecclesiis, etiam paroecialibus, erigendas, iura et officia, quae alter Ordinario loci competenter, exclusive competit Definitorio et Superioribus maioribus. Sed extra Definitorii tempus et praevio consensu Praepositi generalis, poterunt Provinciales:

a) Normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de eius fructibus rite distribuendis;

b) Consensum in scriptis praebere Superioribus, ut huiusmodi fundationes acceptare possint, servatis fideliter normis Codicis iuris canonici quoad impletionem fundationum piarum.

214. Superiores provinciales habeant suos Consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam Constitutionum et sacrorum canonum.

215. Si Praeposito generali opportunum visum fuerit vacationem indicere alicuius ex Definitorii generalibus intermediis ac pro quibuslibet ordinariis provisionibus eius loco in unaquaque Provincia congregan-

dum esse Definitorium seu Capitulum provinciale; tunc Provincialis, opportuniore tempore sed loco a Praeposito generali designato, omnes Vocales suae Provinciae convocabit, qui saltem quinque esse debebunt ad legitimam constitutionem Definitorii huiusmodi, cui ipse praerit, nisi Praepositus generalis adfuerit.

216. Acta vero Capituli provincialis, postquam a Praeposito generali approbata fuerint, in librum actorum Cancellarius referat; liber in archivo Provinciae custodiatur, at documentum originale, a Praeposito generali subsignatum, ad archivum Ordinis mittatur.

217. Primo excepto, singulis sui provincialatus annis, unusquisque Provincialium omnes domos sibi subjectas visitet per se, vel per alium si fuerit legitime impeditus; atque omnia diligenter peragat, quae infra de Visitatione dicemus.

218. Item munus erit Provincialis Praepositum generalem de singulis quae in Capitulo provinciali peragentur commonefacere, quaeque in Provincia notatu digna occurserint, ad eum scribere; ea omnia agere, quae Constitutiones passim vel Praepositus generalis ei concesserit; tandem omni studio contendere, ut etiam in disiunctis Provinciis vinculo charitatis et societatis coniuncti sint animi et ut in domo Domini ambulemus omnes cum consensu.

219. Provinciales in suae residentiae domo commorentur, nec ab eadem discedant nisi ad normam Constitutionum. Superiores locorum, ubi residere eos contigerit, humanius cum ipsis agent, concordiae omnibus in rebus et quieti studentes; meminerint etiam in iis, quae ad Provincialium munus attinent, se nihil omnino iuris obtinere.

220. Provinciales autem in primis muneri suo, deinde iis, quae ad regularem sui collegii seu domus disci-

plinam referuntur, satisfacere debebunt, quin tamen impediant exercitium potestatis quae Superioribus localibus competit.

221. Si Praepositum provinciale obire vel alia causa officio cedere eveniret, tunc ex Consiliariis provincialibus professione maximus ipso iure et facto succedet, usquedum Praepositus generalis alium, ad proximum Definitorium munere perfuncturum, in Provincialia sufficiat.

222. Provincialium unusquisque sigillum habeat, in quo insculpta sint insignia Religionis et sequentia verba circumscripta: PRAEPOSITUS PROVINCIALIS ORDINIS CLER. REG. A SOMASCHA.

## CAPUT XIV.

## DE QUALITATE ET MUNERE CANCELLARII.

223. Cancellarius a toto Capitulo generali ratione supra de Officialibus tradita eligetur.

224. Vir erit integrae famae et omni suspicione maior; sermonis parcus et in literis scribendis non mediocriter versatus, quique pietate simul ac prudentia pro iis rebus, quae sibi mandabuntur, maxime excellat.

225. Cancellarii munus erit, quae in Capitulo generali gesta ac decreta fuerint vel quae a Definitorio statuta, in Librum Actorum generalis Capituli manu propria accurate referre, quibus, cum a Praeposito generali prius fuerit subscriptum, suam et ipse subscriptionem apponet.

226. Cancellarius est eo ipso notarius pro negotiis ecclesiasticis universi Ordinis: volumus igitur ut acta et decreta, quae in Capitulis et Definitoriorum peragen-  
tur, a Cancellario subscripta, vim apud nos habeant publici instrumenti.

227. Idem ex eodem libro acta ipsa ad Procurato-rem generalem mittenda exscribet, sigillo publico obsignabit ac Praepositi generalis subscriptioni suam et ipse adscribet.

228. Literas praeterea undeque ad Capitulum seu Definitorium missas accipiet, ad Praepositi genera-lis vel Praesidis nutum leget et summa rerum capita-

a Definitoribus recepta ad easdem rescribet: literas etiam publicas electionum de more conficiet.

229. Quatuor apud se habebit libros, quorum in pri-mo acta omnia Capituli ac Definitorii cuiusque distinete et ordine disposita describet; diligenter cavens sub poena privationis sui officii aliisve gravibus poenis a Definitorio pro modo culpae infligendis, ut ne verbum quidem malitiose deleat vel addat aut immutet, nec ipse, nec aliis quilibet, quod sensum invertat.

In secundo nomina et cognomina professorum omnium tam Clericorum quam Laicorum, diversa tamen in parte, ordine professionis servato, consignabit.

In tertio nomina Vocalium omnium, quo anno, quoque die adscripti fuerint, perscribet.

In quarto Novitiorum omnium nomina et cognomina item, quo anno, quo mense, quo die Ordinis habi-tum induerint, adnotabit.

230. Duplicem librum actorum habeat, unum as-servandum in archivio principali Ordinis, alterum apud se caute custodiendum. Et sub formali pracepto sanctae obedientiae eidem praecipimus, ne librum acta Capitulorum et Definitoriorum continentem, quem apud se retinuerit, aliis praeterquam Vocalibus ostendere aut ex eo aliquid describere seu descriptum tradere vel mittere, nisi de licentia Praepositi generalis aut Pro-vincialis audeat.

231. Cui item pracepto subiacere volumus Prae-positionum illius collegii seu domus, ad custodiendum archivum principale Ordinis designati, si, quod Cancel-lario praesenti Constitutione prohibemus, attentare ipse praesumpserit. Claves dicti archivi penes Praepositorum eiusdem domus sint, dummodo Superior ex numero Vo-calium sit, alioquin penes Vocalem, qui in ea domo de-

gat, neque alicui umquam consignentur, qui inter Vocales Capituli generalis adscriptus non sit.

232. Hic Capitulo generali celebrando triduo ante praescriptam diem aderit, eique cubiculum cum arca seris bene munita ad scripturas caute custodiendas assignabitur.

233. Ea denique omnia praestabit, quae ipsi passim tribuunt Constitutiones: quibus omnibus ut plane possit cumulateque satisfacere, Vocalis illi a Praeposito generali socius destinabitur.

## CAPUT XV.

### DE ORDINE ET MODO RERUM IN CAPITULO PROPONENDARUM.

234. Electionibus maiorum Officialium praescripta ratione et ordine respective absolutis, si quid temporis ad deliberandum supererit, literae ad Capitulum missae publice legantur et audita Definitorialium seu Seniorum sententia, responsiones ad ea, quae levioris fuerint momenti, decernantur.

235. Res autem graviores pridie semper, quam de iis agatur, omnino proponantur, ut diei unius spatium ad deliberandum concedatur.

236. Quicumque igitur aliquid proponere voluerit, Cancellarium extra Comitium adibit, eidem propositio-nes in Capitulo legendas scriptis consignabit: tum aliquem ex senioribus Definitorii Patribus conveniet et rei propositae rationes brevi declarabit: ipsi vero Seniores benigne et patienter auscultent, nihil tamen respondeant, nec utram in partem propendeant, ullo modo significant.

237. Praepositi generalis, Vicarii et aliorum Definitorii Patrum erit ea, quae proposita fuerint, diligenter examinare, an nimirum contra commune bonum, ex iis, quae ipsi secreto noverint, aliquid manifesto contineant atque eo casu propositiones reiicient et propo-nenti silentium modeste indicent. Hoc casu excepto, quidquid ab unoquoque propositum fuerit, audiatur.

238. Hic ordo in rebus proponendis servabitur. Primo loco agendum erit de iis, quae ad disciplinam regularem in Ordine retinendam vel restituendam vel ad Dei gloriam augendam conferre videbuntur: atque adeo, si decreta ulla in celebrato proxime ante Capitulo generali fuerint constituta, ea primum proponenda erunt, ut vel comprobentur vel reprobentur.

Secundo, quae ad animarum salutem pertinent, ut pote si quod grave detrimentum salutis Fratrum in Ordine irrepserit, si quae patrata fuerint gravia crimina et sit periculum ne eorum contagio latius in caeteros pervadat; si qui a religione defecerint et extra claustra de sua salute nihil prorsus solliciti vivant et qua ratione revocari possint aut eorum saluti possit consuli et alia id genus.

Tertio, quae ad ecclesiarum cultum et ad caeteras res ecclesiasticas pertinent.

Quarto, si quae loca erunt recipienda vel si quae tamquam proprio instituto minus consentanea dimitenda.

Quinto, bona temporalia, ut, si quae instrumenta conficienda vel confirmando; si inopiae alicuius loci subveniendum; si collectae aliquae ex communi faciendae et id genus consimilia.

239. Ratio proponendi erit huiusmodi. Cancellarius propositionem ipsam scripto traditam voce elata, universis attente audientibus, nihil de suo addendo vel de scripto detrahendo recitat. Vicarius generalis utriusque partis rationes inter se pugnantes in medium afferet, deinde propriam dicet sententiam, postremo oppositas rationes dissolvet.

Secundo loco Procurator generalis quid et ipse ea in re sentiat et quibus rationibus adducatur, declarabit

et contrariae sententiae rationibus, qua decet modestia, respondebit.

Deinde sententiam dicent, eadem servata ratione, singuli usque ad novissimum, servato professionis ordine.

Novissimus Praepositus generalis, cui assentiatur parti et quibus rationibus commonstrabit.

240. Si maior Vocalium pars in aliquam consenserit sententiam, ea scriptis extra librum a Cancellario consignata altiori voce ab eodem pronuntiabitur.

Post haec is, qui suffragiis distribuendis fuerit a Praeposito generali electus, calculos singulos singulis distribuet et cadisco affirmationis et negationis notam praferente circumlato, a singulis recipiet; postremo eumdem ad Scrutatores deferet, qui calculis palam et in omnium conspectu numeratis, quid maior pars senserit, publicabunt.

241. Si suffragia aequa concurrerint, iterum ad calculos deveniatur: quod si adhuc aequalia deprehendantur suffragia, Praeposito generali tunc ius sit dupli utendi suffragio atque hac ratione secretis suffragiis firmata sententia a Cancellario, nulla prorsus ex parte immutata, suo tempore in librum referatur.

242. Quod autem hic de suffragiorum aequalitate statuimus, idem ad quamlibet rem etiam in Definitoriis et Capitulis collegialibus, quibus Praepositus generalis interest, definiendam observabitur.

243. In omni consultatione, sive in Capitulo, sive extra Capitulum, per Praepositorum generalem cum Consiliariis, sive in Definitorio cum Definitoribus habenda, in qua aliquid definiendum sit virtute Constitutionum, secreta ferantur suffragia et, quod maior pars censuerit, id definitum intelligatur, nisi aliter fuerit in aliquo

casu nominatim determinatum et a caeteris omnibus etiam contra sentientibus decreto illi subscribatur.

244. Numquam vero legitimae sententiae statutae habeantur, etiamsi omnes idem sentire videantur, nisi secretis maioris partis suffragiis fuerint confirmatae, quod et ad alium quemvis tractatum etiam extra Capitulum generale habendum extendatur, nisi per verbum «Placet» omnes in eamdem sententiam convenient.

245. Sin propositum negotium difficultatibus sit usque adeo involutum et cum in una ex pluribus congregationibus fuerit examinatum, neandum in eo, quid statuendum sit, satis liqueat, quatuor vel sex ad summum ex iis, qui Capitulo intersunt, per calculos eligantur et, quod ipsis omnibus vel maiori ipsorum parti visum fuerit, ab uno ex ipsis ad Praepositi generalis nutum toti Capitulo generali promulgetur.

246. Si quis tamen aliter sentiens voluerit praedicatorum rationibus contraire, audiatur; sed tandem, quod praedicti omnes vel plures senserint, tamquam a Domino dictum et decretum ab omnibus probetur.

247. Ratio horum quatuor aut sex eligendorum haec erit. Praepositus generalis decem Patres nominabit, qui omnes calculis subiificantur ordine professionis: qui omnium primus maiorem suffragiorum partem supra dimidium habuerit, is electus censeatur et cum senarius numerus expletus fuerit, reliqui praetereantur.

248. Pro negotiorum vero gravitate vel pro aliquius rei plena cognitione habenda, unum aut plures Vocales Capitulum eligere poterit, qui vel rem omnino definiant, si eidem ita videbitur vel ad Capitulum definiendam referant.

249. In sententiis dicendis verborum ambages omnes devitentur: simplex oratio, nec longior, quam pars sit, adhibeatur: composito corpore et detecto capite,

non tamen assurgentes, loquantur, neque altius vocem intendant, quam loci postulet amplitudo.

250. Unicuique semel tantum sensum suum proferre liceat, numquam iterare sermonem: verum si res magni momenti sit, iterum dicere, petita a Patre generali benedictione, liceat, postquam caeteri omnes suam dixerint sententiam.

251. Sermo, qualis deceat religiosum virum, religiosus sit ac modestus: verbum nullum asperum, aculei nulli, nullus omnino alterius contemptus, ne gestu quidem: unusquisque quod vere sentit libere enuntiet, quo circa nulla cuiusquam ab ullo interpelletur oratio.

252. Silentium ita servetur, ut ne submissa quidem voce longum colloquium concedatur: dum electio-nes et scrutinia fient et vota recensemuntur, mentem ad Deum tollent Patres nostri et pio affectu pro ipso Capitulo deprecabuntur vel librum aliquem legent, non tamen horas canonicas persolvent.

253. Nemini a Capitulo egredi aut proprio loco abire liceat, iniussu Praepositi generalis.

## CAPUT XVI.

## DE GRADIBUS DIGNITATUM ET ORDINE SEDENDI.

254. In Ordine nostro praecipua et maxima dignitas est Praepositi generalis; secunda Vicarii generalis; tertia Procuratoris generalis; quarta Praepositorum provincialium; quinta Cancellarii; sexta Adsistentium generalium, qui Praepositi generalis munus obierunt; septima Adsistentium generalium, qui officio Vicarii generalis tantum perfuncti sunt; octava Superiorum localium sive Praepositi sive Rectores sint, novissima Vicepraepositorum.

255. Quod si Provinciae numero augescant, tunc sive Cancellarii sive Definitorum dignitates ad quartum et quintum locum respective promovendae erunt, etiam quoad tempus permanentiae in munere, ad normam Constitutionum n. 121. Praeter has nullam aliam volumus in Ordine nostro existimari aut appellari dignitatem.

256. In Capitulo generali Praepositus generalis, peractis electionibus, semper medius inter Vicarium generale et Procuratorem generalem sedebit, ante quos mensa erit de more: Vicarius a dextris, Procurator a sinistris; post hunc Cancellarius: Vicarius generalis in propria sede primus omnium, post illum Vocales omnes, tum Socii professionis ordine servato.

257. Dum habetur Definitorium, Praepositus gene-

ralis locum habebit. ut supra; duae priores dignitates itidem. Post Vicarium circumstabunt Adsistentes generales qui munere Praepositi generalis perfuncti sunt et post illos reliqui professionis ordine, non dignitatis, servato: novissimus sedebit, ut supra, Cancellarius.

258. Tempore et in loco Capituli vel Definitorii Vocales et Socii, extra locum Comitii, Collegialibus omnibus etiam professione antiquioribus praecedant.

259. Extra tempus vero et locum Capituli vel Definitorii, sedendi ordo ex professionis, non ex aetatis antiquitate servandus erit; nisi professione aliqui sint aequales; tunc enim inter ipsos aetate maior praecedere debet.

260. Praepositus generalis primus omnium ubique sedeat, post illum Vicarius generalis; post Vicarium Praepositi provinciales, in sua similiter quilibet Provincia: in aliena autem post Superiorem loci et Romae post Procuratorem generalem sedebunt: Procurator generalis proxime post Superiorem collegii Romae solum, sed extra domum suae residentiae omnes praecedat Superiores, non tamen Vicarium generale neque Provinciale in sua Provincia.

261. Proprovinciales, durante eorum officio, Provincialis locum occupabunt, itidem Visitatores; sed cum suo defuncti sunt munere, tam Proprovinciales quam Visitatores ad propriam sedem revertentur.

262. In domibus nostris primum locum tenebit Superior, secundum Vicesuperior, deinceps reliqui, ex prima professionis ordine, nisi adsint aliqui ex Definitorii Patribus: hi enim omnes caeteris quibuscumque subditis praecedant; et si quando contingat eos esse subditos in aliqua domo, immediate post Superiorem domus sedeant.

263. Ubi vero loci regimen penes Rectores est, nisi

a collegiali Capitulo vel a Definitorio Vicerector electus fuerit, nisi adsit Vocalis Capituli generalis, professione maximus et in sedendo et in administranda domo Vicerectoris locum et munus subeat.

264. Clericus sacris initiatuſ alioſ non initiatuſ quamquam profiſione antiquiores praecedat: ſed, cum iſto eodem fuerint ordine inſigniti, ad debitum ſibi profiſionis locum aſcendent.

265. Laici profiſi post Clericos (quamquam Novitios), Novitii ſupra Hospites et Aggregatos locum teſteant.

Inter Novitios praecedat, qui primo ad probatiōnem admissuſ fuerit.

Clericus Novitius sacris initiatuſ primuſ inter Novitios ſedeat; ſi Sacerdos, ultimuſ post Sacerdotes profiſoſ.

## CAPUT XVII.

### DE DEFINITORIO EIUSQUE MUNERE.

266. Cum ab uno ad aliud Capitulum generale gravissima negotia accidere poſſint, ne Ordo damnum aliquod patiatur, Praepositus generalis singulis annis intermediis, tempore magis congruo et ſibi beneviſo, Definitorium cogere debebit; quod in posterum septem votis conſtabit, nempe Praepoſiti generalis, Vicarii generalis, Procuratoris generalis, trium Provincialium et Cancellarii.

267. Sed ſi, temporis progressu, quarta addatur Provincia, Definitorium octo votis conſtabit ob novum Provincialem. Si autem Provinciae fient plures quam quatuor, tunc unaquaeque Provincia aliis addita post quartam, habebit in Definitorio, praeter proprium Provincialem, ſuum quoque Definitem cum omnibus iuribus ad normam Constitutionum.

268. Inſuper qui Praepoſiti generalis aut Vicarii generalis munus obierunt, ſi aliam in Definitorio dignitatē non obtineant, poterunt donec vixerint, immo et deſebunt pro bono publico cum titulo Adſiſtentium ac iure ſuffragii intereſſe Definitorio, ſine tamen praediſicio numeri ſoliti Definitorii.

269. Quoties autem aliquis ex praedictis deerit, dummodo per literas ad ſingulos Definitorii Patres missas fuerit et ipſe vocatus, Praepoſitus generalis

vel, eo impedito, is cuius erit Definitorium cogere et caeteri ex Definitorio praedicto, cum maiori votorum parte tot Vocales eligent, quot ad praescriptum legitimum numerum explendum deerunt. Qui sic electi fuerint, in eo tantum Definitorio auctoritatem habeant, ultimum in consessu locum. Interim autem, si qui ex iis, qui ante Definitorio erant adscripti, supervenerint, novissime electi officio cedant.

270. Quod si ex Definitorio quispiam perpetuo aut diurno aliquo impedimento detineatur, Definitorium duabus ex tribus concurrentibus partibus eligat Vocalem alium loco defuncti aut alias impediti.

271. At vero si Praepositus generalis vel infirma detenus corporis valetudine vel alia legitima causa Definitorio interesse non valuerit, Vicarius generalis primum locum cum tota illius auctoritate obtinebit et alter ad praedictum numerum explendum ea vice tantum deligetur, ratione qua supra. Quod si Vicarium quavis legitima causa impeditum esse contigerit, tota illius potestas id temporis ad Provincialem seniorem transferatur, quae, Definitorio illo dimisso, statim cessabit.

272. Die quo inchoabitur, missa sollemnis decantetur a Praeposito generali vel ab alio ex dignioribus de eius mandato et in aliis Ordinis nostri locis piae ad Deum effundantur preces ad Superioris cuiusque arbitrium.

273. Quamvis autem penes generale Capitulum legitime congregatum summa et praecipua in omnes atque omnia Ordinis nostri potestas sit, secundaria tamen penes Definitorii Patres erit.

274. Spectabit igitur ad Definitorium Superiores et alios quosvis locorum Officiales eligere: officii vel dignitatis, ad quam quis electus fuerit, renuntiationem

iustis de causis admittere; quae exemptiones et quibus ultra annum concedendae sint, declarare; personas omnes de loco ad locum pro arbitrio mutare; collegia, in quibus soli professi degant, orphanotrophia atque etiam academias vel collegia, ubi pueri educandi sunt, dummodo domus ipsi Ordini perpetuo incorporentur, cum duabus Definitorii partibus recipere, servatis servandis; aggregandos admittere, et alia quae a Constitutionibus illi tribuuntur; acceptare pias fundationes, statuere et mutare clausuram, nec non licentiam praebere circa expensas extraordinarias aut alienationes faciendas et obligationes contrahendas, ad normam iuris canonici harumque Constitutionum.

275. Praeterea, si inter unum et alterum Capitulum generale plures quam duo Vocales in aliqua Provincia decesserint aut fuerint perpetuo impediti, tunc fas erit cuilibet Definitorio generali intermedio, forma sub n. 127 statuta, tot Vocales eligere, quot ad explendum senarium numerum desiderantur; qui, facta professione fidei et iuramento de secreto servando praestito, omnia iura Vocalium habebunt.

276. Convocato Definitorio, iurabunt Patres de secreto tegendis iis, quae in Definitorio tractabuntur, cuiuscumque illa sint generis, et primus quidem Praepositus generalis manu libro Evangeliorum apposita iurabit in haec verba:

*Ego N. N. Praepositus generalis Ordinis Clericorum Regularium a Somasca, testem invoco Deum, quod nihil ex iis, quae in toto hoc Definitorio peragentur, quae in alterius praeiudicium vergere possunt et quae secreta esse Patres decreverint, tempore ab iisdem praescribendo, cuiquam patefaciam aut communicabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.*

277. Eadem ratione respective alii coram Praepo-

sito generali et caeteris iurabunt; quod in omnibus Definitoriorum etiam tempore Capituli generalis habendis fiet.

278. Antequam de rebus in Definitorio tractandis agatur, ipse Praepositus generalis Definitorio exeat, ut caeteris de ipso libere loqui liceat et si quid reprehensione dignum deprehensum in eo fuerit, a Vicario generali debita cum reverentia admoneatur; et hoc ipsum praestabunt caeteri Definitorii Patres a Vicario generali usque ad novissimum.

279. Praemisso iuramento, primum literae ad Definitoriorum datae perlegentur et, si quae faciliora erunt, statim definientur: si quae vero difficiliorem et longiorem requirant disquisitionem, in sequentem sessionem eorum definitio differatur.

280. Solus autem Praepositus generalis in Definitorio proponet nihil omnino de suo addens, nec utram in partem propendeat indicans: quod si quid relatione dignum a Praeposito generali fuerit praetermissum, licebit Vicario generali, benedictione prius a Praeposito generali petita, proponere.

281. In dicendis sententiis primi omnium post Vicarium generalem et Procuratorem generalem dicent Adsistentes generales, si qui adsint, deinceps reliqui professionis ordine servato. Denique caetera omnia servabuntur, quae supra cap. «*De ordine et ratione rerum in Capitulo proponendarum*» praescripta sunt, quae omnia et singula hic tamquam repetita habeantur.

282. Decretis factis et a Cancellario descriptis, ad Superiorum electiones Definitorii Patres accident.

283. Post haec Praepositus generalis et Provinciales, si quid erit animadversione dignum de Superioribus domorum vel amovendis vel commutandis vel promovendis, proferent, nihil supprimentes eorum, quae

ut dicantur, saluti publicae, etiam cum alicuius certae personae incommodo, utile futurum censuerint; nec non locorum necessitates tam temporales, quam spirituales proponent.

284. Ante Superiorum localium electiones caput primum libri tertii nostrarum Constitutionum preelegatur a Cancellario et quidquid in illo praescribitur, attente diligenterque notetur et observetur.

Electio Superiorum ab antiquioribus Ordinis locis sumet initium et Scrutatores erunt Praepositus generalis, Procurator generalis et Cancellarius. Emisso iuramento ab omnibus de iis eligendis, quos secundum Deum eligendos esse existimaverint, schedam, in qua Vocales omnes descripti sint, praे manibus singuli habebunt: mox eorum, qui ad Superioritates idonei censemebuntur, diligens a Patribus fiet inquisitio. Interim in paratis schedis illum unusquisque sribet, quem nominare voluerit, atque in urnam mittet.

285. Si in primo scrutinio nemo electus reperietur, omnes nominati calculis subiiciantur et, qui maiorem suffragiorum partem supra dimidium respective obtinuerit, is electus declaretur.

286. Illud vero in Superiorum electionibus obseruent Patres ut, qui per triennium Superiores fuerint, a superioritate eiusdem loci amoveantur. Si vero ultra triennium ob gravem aliquam necessitatatem vel iustum ob causam confirmari expediet, quod ut raro fiat valde exoptamus, cum duabus Definitorii partibus prorogatio talis decernatur.

Nemo tamen ullo modo possit tertio immediate esse Superior in eadem religiosa domo.

287. Etsi ad triennium legitime constituatur electio, nihilominus Definitoriorum facultatem sibi vindicat amovendi religiosum a superioritate, etiam perdurante

triennio, quotiescumque necessitas aut quaevis alia iusta causa id requirat.

288. Quod statutum est de Superioribus minoribus seu localibus valet etiam pro Superioribus seu Directribus scholarum, hospitalium aliarumque piarum domorum, si Superioris isti seu Directores sint simul Superioris religiosorum sub sua potestate habentes alios religiosos, etiam quoad religiosam disciplinam.

289. In unaquaque Provincia illi erunt eligendi in Superioris domorum qui sint eiusdem Provinciae filii: qui nempe in eadem ad Religionem admissi fuerint et professionem emiserint atque ii etiam qui per decre-  
tum Praepositi generalis eidem Provinciae fuerint incorporati. Sed cum contingere possit ut pauci existant, qui ad gerenda Superiorum munera aliquibus in Provinciis idonei sint, ne Ordo damnum aliquod patiatur, volumus ut, rebus sic stantibus, etiam exterarum Provinciarum alumni in non suis Provinciis Superioris ad annum, titulo tamen Vicariorum, non autem Praepositorum nec Rectorum assumi possint.

290. Quoad subditos autem, omnes nostros monitos volumus quod, non obstante divisione Provinciarum, potest Praepositus generalis vel Definitorium aut etiam Capitulum provinciale cum licentia Patris generalis, ob necessariam aliquam causam, religiosum quemcumque a sua Provincia ad locum alienae Provinciae de obedientia destinare; cui decreto nemo umquam potest resistere absque violatione sanctae obedientiae.

291. Insuper illi eligendi erunt, qui non ambiisse dignitates, sed ex intimo humilitatis affectu abhorruisse potius existimentur: qui charitate, prudentia, patientia, in rebus agendis dexteritate, virtutum perfectione, religionis zelo sic inter alios excellant, ut aliis merito et praeesse debeat et prodesse possint. Num-

quam in Superiorem is assumetur, qui ab emissâ prima professione sexennium non expleverit; qui propriis commodis non publicae utilitati deservire soleat; qui per apostasiam vel obtento saecularizationis indulto a Religione defecerit; qui de infideli bonorum temporaliū administratione aut dilapidatione convictus aliquando fuerit; qui saecularium hominum, etiam Principum consuetudine delectetur, cum praeiudicio vel Religionis vel religiosae disciplinae.

292. Nemo, qui ob adversam valetudinem communis chori vel triclinii observantias ut plurimum subire nequeat, nisi probitate, prudentia et rerum experientia defectus illi compensentur, eligatur in Praepositum vel Rectorem.

293. Locorum Superioribus electis, si qui Officiales alii, puta Vicepraepositi vel Parochi eligendi seu presentandi Definitorio videbuntur, hic erit eligendi locus: post quorum electiones de caeteris personis mutandis agetur.

294. Cancellarius libellum habeat, in quo Concionatores, Confessarii et Praeceptores omnes ac Clerici tam in sacris constituti quam simplices descripti sint.

295. Caveant autem Definitorii Patres, ne supra vires et facultates, personarum numero loca onerentur et nimium frequentes fiant earumdem personarum de loco ad locum mutationes. Caeterum iam factas a Definitorio, quantum fieri poterit, servandas curet Praepositus generalis.

## CAPUT XVIII.

## DE SACRA VISITATIONE.

296. Etsi visitandi munus Praepositi generalis proprium est, ad diuturnam tamen regularis disciplinae conservationem et ad totius administrationis onus facilis sustinendum, idem munus ex iure obtinent etiam Praepositi provinciales, unusquisque in singulas domos ac personas sibi subiectas.

297. Itaque Visitatorem ad loca nostra visitationis gratia adventantem, statim pulsato tintinnabulo, postquam in ecclesia de more paulisper oraverit, cuncti hilariter et reverenter excipient et ad benedictionem petendam in cubiculum ipsi religioso apparatu instructum convenient, quos ille ad osculum manus et reliquum complexum amanter benigneque recipiet. Quod item faciendum erit et maiore cum reverentia et honore in adventu Praepositi generalis.

298. Visitator cubiculum ingressus receptisque ad benedictionem et ad osculum manus singulis ea in domo commorantibus, Superiorem rogabit numquid sit, quod in praesens necessarium exposcat remedium illudque protinus adhibebit.

299. Biduo post accessum ad loca, quae visitaturus est, communi utetur mensa; chorum frequentabit suoque docebit exemplo curam omnem et cogitationem in eo se defixisse, ut salva et integra retineatur in Ordine disciplina.

300. Cum sibi opportunum visum fuerit, professos omnes convocari iubebit et dicto hymno « *Veni Creator Spiritus, etc.* », addet:

- V. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur.*
- R. *Et renovabis faciem terrae.*
- V. *Memento congregationis tuae.*
- R. *Quam possedisti ab initio.*
- V. *Domine exaudi orationem meam.*
- R. *Et clamor meus ad te veniat.*
- V. *Dominus vobiscum.*
- R. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Concede nos famulos tuos, quae sumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis et praesta in nobis religionis augmentum, ut quae sunt bona nutrias ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

301. Quoties Visitator visitationem peragat non ex proprio officio, sed nomine et vice alicuius Superioris maioris, literas commissi sibi muneris a Cancellario domus, si adsit, vel a primo Capitulari post Superiorum perlegi iubebit.

302. Tum brevi oratione eos ad verum in rebus ad visitationem spectantibus integre sincereque apriendum adhortabitur admonebitque, ne vindictae studio aut alterius rei affectione moti ea dicant, quae silenda forent, aut contra, quae dicenda essent sileant; praeterea, quatenus expedire censuerit, huius rei necessitatem per praeceptum imponet, docebit, quae ad fraternalm charitatem et correctionem pertinere Do-

ctores communiter asseverant, ne forte zelus sine legis scientia charitatem evertat aut perturbet.

Quod si ad maiorem ipsorum consolationem aliquid praesente socio exponere voluerint, liberum erit unicuique id facere.

303. Visitationem a rebus sacris inchoabit. Itaque templum ingressus, clausis ianuis, qua populus ingredi consuevit, videat qua cura et diligentia augustissimum Eucharistiae sacramentum, oleum infirmorum, aqua baptismalis et caetera sacramentalia ac Sanctorum etiam reliquiae asserventur: num altaria mappis ornata sint mundis lapideque sacro rite munita: an confessariorum sedes idoneas habeant crates: an missarum obligationibus perfecte satisfiat et demum ea omnia, quae tum in templo, tum in sacrario ad divinum spectant cultum, diligenter scrutabitur.

304. Antequam subditos alloquatur, ab aliquo Patre Vocali Capituli generalis, si adest, vel ab aliquibus Senioribus rerum omnium tam spiritualium, quam temporalium, domus personarumque statum ac vivendi rationem curabit edoceri et, ut sibi visum fuerit expedire, huiusmodi praenotiones scriptis consignabit, quas tamen, ne in aliorum manus incident, accuratissime cavebit.

305. Quibus diligenter expensis ac de singulorum actionibus ac studiis brevi etiam a Superiori edoctus, indicem personarum iuxta professionis ordinem conscriptum accipiet: tum singulis ad se per certum ministrum accitis, ea benevolentiae charitatisque exhibebit argumenta, ut nemini obmurmurandi aut male de se suspicandi ansam praebeat.

306. Hinc prudenter ab unoquoque sciscitarbitur, quomodo corpore ac viribus valeat, an libenter in illa domo degat, num quid sibi ad victimum vestitumque desit,

num quid ad ipsius spirituale solatium vel institutionem spectans proponere velit, quonam modo obedientiae sanctae, Superioris voluntati promptum seipsum agnoscat et huiusmodi pleraque.

307. Quod vero ad alios attinet, rogabit num aliquem susurronem vel inobedientem norit; an inter subditos sit concordia; num quis de nimia familiaritate sit suspectus; sintque in ea domo qui vel a Superiori vel ab aliis in omnibus rebus plerumque dissident; quonam modo Constitutiones atque etiam decreta Capituli, Definitorii aut Praepositi generalis et Provincialis vel Superioris serventur; qualis sit omnium in Dei via, timore ac pietate etiam in literis progressus.

308. Aliquid contra Superiores vel alios deferenti non facile assentietur Visitator, sed diligenter animadvertiset accurateque circumstantias omnes perpendet; sin aliquid gravius in aliis praeter Superiorum reprehenderit, re cum ipso Superiori et cum socio visitationis communicata, quid facto opus sit, deliberabit: quod si res eiusmodi sit, ut dilationem patiatur, Praeposatum generalem consulet.

309. Absoluta personarum visitatione, singulorum cellas perlustrabit in id maxime incumbens, ut servetur communitas, ut, habita religiosae paupertatis ratione, nihil cuiquam supersit aut deficiat, neve sit in iis aliquid, quod religiosum virum minus deceat.

310. Communia etiam conclave et officinas obbibit et inviset; sacrarii, bibliothecae et publicae supellecritis indices diligenter perleget et comparari quamprimum a Superiori iubebit quae, ut communi suppleatur indigentiae, opus esse iudicabit.

311. Postremo Superioris cubiculum scrutabitur: arcam, qua pecuniae reconduntur, aperiet et has coram

Superiore et Oecono mo numerabit, libros rationum ex poscet atque rationes accepti et expensi accurate sub ducet et examinabit, quibus, prout prudentiae et iustitiae consonum videtur, subscrivet.

312. Antequam libros Superiori restituat, iureiu rando Superiorem et Oeconomum adiget, ut aes alienum, si quod domus illa contraxerit et pecuniam omnem fideliter detegant. Forma iuramenti haec erit:

*Ego N. N. collegii vel academie aut domus sancti N. talis civitatis vel oppidi, Deum testor et Iesum Christum Crucifixum, quem mihi opto in hora mortis propitium, quod reverenda Paternitati tuae omnia debita et credita et omnem pecuniam huius collegii sive domus, fideliter indicabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.*

313. Tum Visitator, si quid circa bonorum temporalium administrationem vel rationum libros admonere Superiorum et Oeconomum domus operae pretium du xerit, hoc loco admonebit: *mox scriptum conficiet, in quo singillatim exprimantur incerti iuxta ac certi domus illius anni proventus et expensae: quidquid ibi annonae, aeris alieni et pecuniarum reliquerit, item eleemosynae alicuius momenti intuitu cuiuspiam ex nostris illi domui vel ecclesiae erogatae, similiter et redditus per Superiorum vel per alium quemcumque nuper acquisiti: missarum et anniversariorum obligations: impendia in fabricam vel in supellectilem, sive sacram, sive pro Nostrorum usu, si notabilem summan attigerint; et scriptum huiusmodi a Superiori et ab Oecono mo sua manu obsignatum iuratumque secum ad Definitorium deferet, cuius interim exemplar statim ad Praepositum generalem mittet.*

314. His peractis, atque iis, de quibus in ipso visitationis actu admonitus fuerit, sive ad personarum

statum spectent, sive ad domus administrationem, accurate perpensis, praevia oratione ac divino sacrificio, quid notorum, quid probabile sibi visum fuerit, diligenter adnotabit.

315. Si quem in culpas minime leves (qua de re ipse viderit) non omnibus tamen notas lapsum fuisse deprehenderit, coram Superiore illum arguet poenamque pro delicti magnitudine infligat. Superiorem vero eiusdem culpae reum coram aliquo, prout melius ipsi videbitur, benigne, sed serio corriget.

316. Tandem decretis, si quae erunt facienda, cum Superiore illius domus communicatis, Capitulum collegiale convocari iubebit, in quo de spirituali animae quasi renovatione, de religiosae perfectionis virtutumque omnium, praesertim charitatis ac pietatis studio, brevem, sed gravem orationem instituet, qua perorata, omnes et singuli genibus flexis exteriores culpas confitebuntur et pro culparum gravitate correptionem et poenam a Visitatore impositam aequo animo suscipiant.

317. Corrigere autem debebunt Visitatores culpas omnes, quae corrigi possunt, nec eas ad Definitorium deferre, nisi ex earum suppressione grave aliquod detrimentum Ordini timeatur, quod idem de pravis propensionibus statutum sit.

318. Novissimus omnium Superior domus, quacumque dignitate insignitus sit (solum enim Praepositum et Vicarium generalem eximimus) reliquis tum stantibus, culpas suas ad christianaे humilitatis exemplum et solamen conscientiae accusabit et, ut sibi poenitentia irrogetur, suppliciter rogabit.

319. Demum Visitator decreta facta perlegi elata voce eaque in libro actorum collegii scribi mandabit, quae succendentibus Visitatoribus exhiberi debebunt.

320. Capitulo dimisso, Visitator, quantum in ipso erit, contendet, ut pacis tranquillitatisque bonum, familiae, quam invisit, ita relinquat, ut post ipsius discessione auctum illud mirum in modum omnes intelligant.

321. Quapropter visitatione absoluta, per aliquot dies ea in domo poterit commorari, quibus diebus subditos benigne alloquetur atque in Domino consolabitur.

322. Interim visitationem habitam duplici in scheda exscribere et manu propria obsignare teneatur et harum alteram ad Praepositum generalem, quam primum poterit, mittat; alteram vero apud se retineat, Definitorio suo tempore producendam.

323. Quamquam autem Visitatorem patris potius, quam iudicis personam agere, praesertim erga imbecilles et infirmos volumus: si quem nihilominus inter fratres, aut (quod est gravius) inter Superiores et subditos dissensionum ac discordiarum vel publici scandali auctorem deprehenderit, in eum ita graviter animadvertiset, ut illius correctio ad continendos in officio caeteros plurimum conducat.

324. Circa sumptus in visitatione, moderate tamen faciendo, vel procurationes et expensas itineris, si quae a domibus suppeditari debuerint, a Definitorio praescribentur.

325. Pecuniae pro viaticis acceptae rationem et quidquid ab impensis itinerum Visitatoribus supererit, Praeposito generali et illius Consiliariis reddere fideliter teneantur.

326. Munera nulla a quovis ex nostris, ne post visitationem quidem liceat Visitatori accipere: nec item quidquam de locis et personis, quas invisit, nisi virtutes et bona alibi enuntiare aut evulgare.

## CAPUT XIX.

### DE CONSILIARIIS PRAEPOSITI GENERALIS ET PROVINCIALIUM

327. Praepositus generalis, item Praepositi provinciales necnon Praepositi locales cuiusque saltem domus formatae habeant suos Consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam Constitutionum et Sacrorum Canonum.

328. Peractis igitur electionibus canonicis, antequam ad caetera negotia tractanda deveniatur, ad efficiendum consilium Praepositi generalis a Capitulo generali eligantur Consiliarii quatuor triennio duraturi, qui possint esse etiam Adsistentes generales et Procurator generalis praeter Vicarium, qui de iure erit primus Consiliarius.

329. Ratio eligendorum Consiliariorum eadem erit, quae supra sub n. 127 sancita est.

330. Sciant electores eos Consiliarios eligendos esse, qui experientia Ordinis nostri instituta probe nota habeant et magnum virtutis specimen ediderint. Attamen qui in numero Vocalium aut saltem ad Vocalatum idoneus factus non reperietur, is munere Consiliarii fungi minime valet.

331. In Ordine nostro Consiliarii per se nec Officiales sunt, neque eorum munus velut dignitas habendum. Si quando contingat ut electores, ob alicuius eximiam probitatem et prudentiam ac singularem iuris

canonici peritiam, eum Consiliarium eligant, qui inter Definitorii Patres non sit, is nequit Definitorio interesse; immo neque Capitulo generali, nisi in numerum Vocalium vel Sociorum sit cooptatus.

332. Fidelitas etiam Consiliarios maxime decet, ut pro veritate omnia constanter dicant, ut quae in consultationem et deliberationem venerint, quaeve ipsi senserint, secreto tegant et cum Praepositus generalis, ipsorum prius audita sententia, aliquid constituerit, illius iudicio humiliter acquiescant. Quamobrem illud in primis diligenterque cavebunt, ne se aut decretum aliquod approbasse aut aliter quoquo modo sensisse, extra consultationem proferant: quin potius Superioris consilium tamquam omnibus ratum probatumque tuebuntur et commendabunt.

333. Praeter supremum Ordinis Moderatorem, etiam Superior provincialis habere debet suos Consiliarios.

Plenum et legitimum Consilium Praepositi provincialis constat ex omnibus Vocalibus Capituli generalis in Provincia de familia commorantibus, qui a Superiori provinciali cogi debebunt saltem bis in anno et quotiescumque aliquod Provinciae grave negotium postulabit. Ad res tamen ordinarias peragendas, quae non sint magni momenti, Definitorium ex praedictis Vocalibus duos viros in Consiliarios ad triennium eligere curabit.

334. Omnes de consensu vel consilio requisiti debent ea, qua par est, reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire, ita tamen ut charitatis christiane memores in suo sensu nimium abundare non videantur.

## CAPUT XX.

### DE NOVIS DOMIBUS ERIGENDIS SEU RECIPIENDIS.

335. Nova loca si Capitulo generali vel Definitorio proponentur, illud in primis animadventent Patres, praeteriti temporis experientia edocti, satius esse fundatis iam bene providere, quam nova recipere, personarum, quibus novis locis est subveniendum, habita ratione.

336. Etsi compererint tum novo loco suscipiendo tum antiquis iam susceptis bene provideri posse, sciant nihilominus ad erigendam domum religiosam exemptam, sive formatam sive non formatam, requiri beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensum in scriptis datum.

Ut autem aedificantur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis aedes separata a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia.

337. Ex praescripto iuris communis, nulla religiosa domus erigenda est, nisi iudicari prudenter possit vel ex redditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congrue sodalium habitationi et sustentationi provisum iri.

338. Post haec conventiones, onera et qualitates loci, situs videlicet, aedificia, prospectus, vicinia et huiusmodi diligenter examinentur, an scilicet in iis aliqua reperiantur, quae religiosae libertati seu decori ad-

versentur: an ab acceptis domibus temporis progressu-  
ulla de causa eiici possint Patres nostri: redditum tem-  
poralium non sola habeatur ratio, sed profectus in vi-  
nea Domini et animarum saluti potissima.

339. Domus novae, quoad fieri poterit, fundentur  
in urbibus tantum vel oppidis insignioribus: ubi fue-  
rit insalubritas aëris recusentur, honesta adhibita  
excusatione: quae ab aliis Ordinis locis valde distant,  
rarissime recipientur.

340. Haec ut facilius cognoscantur, priusquam pro-  
ponatur Capituli vel Definitorii Patribus novi loci re-  
ceptio, duo ex Nostris a Praeposito generali, si com-  
mode fieri poterit, ad eum videndum destinentur: ii  
Capitulo vel Definitorio referent a se visa et observata  
ac libro actorum Capituli generalis describentur ab iis  
narrata, illorum firmata iuramento. Quae loca Ordini  
detrimento esse cognoscent Patres Definitorii, ab iisdem  
dimittantur, Capituli generalis accedente consensu, si  
tamen tunc temporis Capitulum celebretur.

341. Nova loca nulli ex Nostris ibi habitaturi  
adeant, nisi prius Apostolico rescripto et scripturis qui-  
buscumque necessariis expeditis ac illarum exemplo a  
Praeposito generali recepto.

342. Orphanorum loca summa animi promptitu-  
dine recipientur, sed cum Protectoribus prudenter  
agatur.

343. Hospitalia, orphanotrophia aliaque similia in-  
stituta ad opera religionis vel charitatis, sive spiritualis  
sive temporalis, destinata et domui religiosae concre-  
dita, episcopali vigilantiae subsunt quod spectat ad re-  
ligionis magisteria, honestatem morum, exercitationes  
pietatis, sacrorum administrationem. Ideoque loci Or-  
dinarius omnia huiusmodi instituta, etiam in personam  
moralem erecta, visitare potest et debet.

344. Idem dicendum de scholis quibuslibet, orato-  
riis, recreatoriis, patronatibus etc., in iis quae religio-  
sam et moralem institutionem spectant, nisi agatur de  
scholis internis pro professis nostrae Religionis.

345. Denique domus religiosa sive formata sive  
non formata, quae ad nostram Religionem pertineat,  
supprimi nequit sine beneplacito Apostolico.

346. Extra Definitorii vel Capituli generalis tem-  
pus possit Pater generalis, cum voto Consiliariorum per  
literas habendo, collegium aliquod vel orphanotrophium  
recipere, si ita expedire iudicabit, pensatis circumstan-  
tiis, quae supra.

---

CAPUT XXI.

## DE AGGREGANDIS AD RELIGIONEM.

347. Varietate domorum nostri Ordinis inspecta, non inutile erit, si quis laicus se obtulerit, qui professione minime sit idoneus, aptus tamen iudicetur ad serviendum, maxime in locis orphanorum, illum nostro Ordini aggregare. Hoc a Definitorio vel cum consensu Definitorii a Praeposito generali fiet, conditionibus a Capitulo generali vel a Definitorio statutis aut statuendis.

348. Qui Ordini nostro se aggregare voluerit, obliget se ad habitum nostrum deferendum et ad servandam religiosam disciplinam sub Superiorum obedientia iuxta consuetudines nostras in domo, in qua commoratur. Et dum nobiscum erit, omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus fruetur, nec non suffragiis a Constitutionibus praescriptis (nn. 425, 426).

349. Sin autem, temporis progressu, in vita religiosa minime acquiescens, in Ordine perseverare noluerit, liberum ei sit ad saeculum redire, sicut liberum est Superioribus, iustis de causis, eum ex Ordine reicere.

350. Sacerdotes etiam, si ita ad maiorem Dei gloriam et ad Ordinis commodum expedire videbitur, a solo Definitorio aliquando aggregari poterunt, modo eamdem vivendi rationem cum caeteris professis suscipiant, nec umquam pecunias apud se retinere sub ullo

praetextu presumant, quod etiam aggregatis Laicis vetitum sit.

351. Volumus tandem, ut hac ratione aggregati, qui nobiscum vivunt, privata vota castitatis, paupertatis et obedientiae in manu sui Superioris post experimentum sex saltem mensium profiteantur, quorum obligatio duret, quoisque nobiscum fuerint.

352. Praeter hos aggregatos ad nostram vitam communem, volumus ut alii etiam aggregari possint *in spiritualibus* tantum, quam aggregationem unus Praepositus generalis conferet, tum viris spectatae virtutis, tum piis matronis de Ordine nostro vere benemerentibus.

FINIS LIBRI PRIMI.

## LIBER SECUNDUS

### CAPUT I.

#### MONITA AD INTERIOREM CULTUM ET SPIRITUalem PROFECTUM PERTINENTIA.

353. Somaschensis religionis castra quicunque sumus ingressi, hunc nobis initio finem proposuimus, ut expugnatis vitiis, quibus anima turpiter deformatur et evitatis peccandi occasionibus, quae in saeculo plurimae passim obiiciuntur, per virtutum gradus ad perfectionis fastigium conscenderemus. Hunc eumdem finem ita necesse est assidue versari nobis ob mentis oculos, ut internum obtutum ab eo numquam avertamus. Sic enim fiet, ut de eo consequendo mirum in modum solliciti, laetis animis amplectamur universa, quae tamquam solida adiumenta in nostris Constitutionibus proponuntur. Pro interiore igitur animae cultu sequentia documenta praecipue subiicimus, quae qui sui spiritualis progressus amantior fuerit, tamquam paecepta Domini excipiet et diligenter observabit.

354. Cogitemus de terra Aegypti, quae saeculum est, in terram lacte et melle manantem, quae Religio est, nos evocatos a Domino, ut simus gens sancta, populus electus et dilectus, in cuius medio ipsi iucundum

est inhabitare: ac proinde, quidquid illius oculis discere potest, statim tollendum de medio; amorem amore compensandum et, dummodo Deum diligamus, nihil reliqua omnia esse facienda.

355. In iis omnibus quae cogitamus, quae privatim, quae publice dicimus, facimus, etiam si minima sint, Dei gloria et spiritualis utilitas vel nostra vel proximi semper spectetur.

356. Sicut nullum est momentum, quo Dei bonitate et misericordia non perfruamur, ita nullum sit momentum, quo internis oculis eumdem praesentem non intueamur, tamquam operum, verborum et cogitationum nostrarum testem atque inspectorem. Hac enim laudatissima praesentiae Dei commendatione nihil fere efficacius est ad mala quaeque praecavenda et ad perfectionem attingendam.

357. Molestia quaecumque et qualiscumque ea fuerit et undecumque obvenerit, ipsa etiam impedimenta, quibus a spirituali progressu retardari nobis videbimur, peccatis exclusis, pacato animo tamquam e manu Dei parentis optimi suscipientur et eidem offerantur coniuncta cum cruciatibus Domini Nostri Iesu Christi ad laudem et gloriam ipsius.

358. Tepiditas ex animo prorsus et statim elevenda est, alioquin instar febris hecticae universum robur viresque spiritus enervabit.

359. Cum graves sese nobis obiecerint difficultates, quae nos a Dei cultu et a studio perfectionis avertire conentur, cum peccatorum metus et iusti Iudicis rigor ad diffidentiam nos impulerit, tunc maxima fiducia ad Deum configiamus eumdemque Patrem et quidem amantissimum cogitemus sciamusque non confundi aliquem, qui speret in Deo, immo quod nostrum ad solatium, divus Bernardus aiebat, nil omnipotentiam

Verbi clariorem reddere, quam quod omnipotentes facit eos, qui sperant in eo, ut nimirum omnia quaecumque voluerint et petierint, consequantur.

360. Quidquid in aliis vel nos ipsi reprehensione dignum iudicaverimus vel ab aliis reprehendi audierimus, studiose a nobis declinetur: quidquid etiam laudatione dignum animadverterimus, id aemulari et sequi studiose nitamur.

361. Ordinem nostrum loco parentis habeamus, amemus et, ut is bene audiat ab omnibus, quantum in nobis est, strenue laboremus: privati tamen affectus omnino eradicentur.

362. Consuetudines a saeculo in Religionem allatae valido conatu, adhibito Superiorum et Patrum spiritualium adiumento, prorsus evellendae sunt. Contra vero omni diligentia contendendum, ut novitus ille fervor, qui nostrae conversionis initio animum inflammat, ad serviendum Deo in sanctitate et iustitia processu temporis non intepescat.

363. Initio cuiusque mensis virtutem unam singuli diligent, in qua seipsos toto illo mense diligenter exerceant et singularem pugnam similiter suscipient adversus vitium, quod eidem virtuti opponitur. Sanctum unum ex multis, qui eo mense occurrerint, sorte patronum eligent, cuius ad honorem quotidie dominicam preicationem cum angelica salutatione recitabunt precabanturque ut ad eam virtutem acquirendam et vitium extirpandum sua intercessione opem a Deo impetreret.

364. Parvi qui videntur animorum morbi et levissima vitia a nullo negligantur. Nam a parva scintilla magnum saepe excitatur incendium.

365. Parentes, consanguinei, amici, facultates et id genus alia, quibus renuntiavimus, ut nudi nudum Crucifixum sequeremur, si denuo nostros per affectum

invaserint et occupaverint animos, Christi aspectu indigni iudicabimur ac proinde etiam regno coelesti.

366. Christi servo omne solum patria est, immo verius totus mundus exilium est et sola coelestis Jerusalem, ad quam adspirat, patria. Nulla sit igitur apud nos locorum vel gentium distinctio: sed unum patrem, qui Deus est, unam matrem, quae Religio est, unam patriam, quae Paradisus est, cum habeamus, communis benevolentia et charitate omnes et omnia loca complectamur in Domino ibique et cum illis libentius versari velimus, ubi abnegandae voluntatis frequentiorum et maiorem nanciscimur occasionem.

367. In temptationibus, quibus varie atque etiam dure illum exagitari oportet, qui ad Dei servitatem accessit, declinanda est et diligenter cavenda imbecillitas animi et infirmitas, timor iusto maior, vana tristitia, conscientiae scrupuli, quibus cordis libertas et spiritualis profectus praepediri solet: revocanda vero ad mentem merces amplissima, quae bonum certamen certantibus promissa est, illeque imitandus, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Plurimum proderit, omnia vel Superiori fiderenter vel Patri spirituali indicare atque aperire et ex eorum consilio vivere.

368. Aliquid lectionis ex unico pio libro, donec integrum percurrerint, quotidie nostri memoriae impriment et documentum aliquod pro suo interiore profectu inde studebunt haurire.

369. Pax nostra interna ex linguis iudiciisque hominum non pendeat, sed ex testimonio propriae conscientiae et ex fiducia, quae tam in adversis, quam in prosperis ponenda nobis in Deo est.

370. Si ex imbecillitate fragilitateque nostra ad impatientiam vel ad indignationem ab aliquo ex fratribus irritari nos senserimus, ne pax turbetur et rixae

orientur, custodienda diligenter lingua est, ne ea proferat, ad quae importuno et quasi concitato spiritu impellitur et quae si effutierimus, dixisse postea nos poeniteat, cum mentis serenitas redierit. Meminerimus beatos nos esse, cum pro amore Iesu Christi iniurias patimur et contumelias.

371. Religioso vere humili nemo in hac vita felicior. Cum enim et seipsum pro nihilo habeat et terrena omnia; ridet si irrideatur; gaudet si conculcetur; si reprehendatur culpam libenter agnoscit; si offendatur statim ignoscit. Unusquisque nostrum igitur Iesu Christi humilitatem, mansuetudinemque imitari studeat et eligat abiectus esse in domo Dei, vilioribus exercitiis addici; subesse, non praeesse; doceri, non docere; et vilis potius, quam humilis haberi: sic enim et tranquilla quiete fruetur in hoc saeculo et felicissima in futuro.

372. Unius Dei favore et benevolentia contenti, ab hominibus amari, praeterquam a bonis, numquam affectemus. Neque enim Deo placet, qui placere mortaliibus studet.

373. Facile inquieti, suspiciosi, indignabundi erimus; facile etiam nostri obliviscemur, si aliena dicta et gesta curiose conquirere voluerimus. Nisi ergo officii necessitas et charitas nos urgeat, vel tacendum nobis est, cum de aliorum vitiis agitur, vel sermo prudenter amputandus et ad meliora transferendus.

374. Temeraria iudicia sedulo vitentur: suspiciones, quae nostris sese importune ingerunt animis, non facile admittantur, neque continuo putemus nullos ibi bonos esse, ubi multos videmus non recte vivere. Aliorum peccata doleamus, continuis precibus a Deo deposcamus emendationem et de nullius peccantis vera conversione et poenitentia desperemus.

375. Nostri omnes et Superiores praesertim, modestiam religiosamque serenitatem potius, quam nimis austera gravitatem vultu praeseferant, benigni sint omnibus, nemini signa charitatis denegent, nemini invideant, benefaciant iis potissimum, a quibus laeduntur, cum iisdem mitius et benignius agant quam cum aliis.

376. Ut proximum opere et veritate diligamus prout debemus, eumdemque, ut ex nostro instituto, in obsequium Dei promoveamus, non aspicienda est in homine vilitas exterior, sed animae praecellens nobilitas et forma, quam ita Dei Filius adamavit, ut pro ea et carnem assumpserit et crucem. Sic enim dolebimus, si eam peccatis aut vitiis dedecorari; laetabimur, si in via salutis proficere conspexerimus; et illius iuvandae omnem avide occasionem arripiemus.

377. Solatia et oblectamenta in rebus externis quaerenda non sunt, sed in solo Deo et rebus divinis.

378. Ad virtutum perfectionem ille felicius ac sine dubio facilius perveniet, qui communi mentis orationi tam mane quam vespere alteram semihoram privatim adiunget.

379. Cavendum est, ne in internis exercitiis adnisi, plusquam par est, vehementi occupentur mens et cogitatio; ut capite ac reliquo corpore sani et spiritu integri in Dei obsequio persistere possimus.

380. Deus non solum internis studiis, sed etiam externis exercitationibus pro sui amore pie susceptis magnopere delectatur: quamobrem et Laici et qui ad ministrandum aliis destinati sunt, suis si naviter functi fuerint officiis, et gratissimi Deo erunt et per laboriosas vitae praesentis actiones ad supernam quietem ab eo deducentur.

## CAPUT II.

## DE CONSTITUTIONIBUS UNIVERSE.

381. Quod primo loco Nostros monitos volumus, illud est, ut sciant se in Somaschensem familiam, quae Christi militia est, ab ipso vocatos idcirco fuisse, ut perfecti sint et integri, in nullo deficientes, ut ait divus Iacobus; eum autem deficere, qui in legum et Constitutionum observatione in dies non proficit et qui sic deficit, eum non esurire, non sitire iustitiam, ut scilicet semper iustior ac perfectior evadat, prout debet, sed paulatim in humanam carnis libertatem abripi et abstrahi: omnia illi dura, omnia aspera et amara, quae a Superioribus iubentur vel praescribuntur a Constitutionibus, videri: nihil illi dulce, nihil suave, quod ex instituto sit Religionis. Quamobrem sciant seriam Constitutionum observationem scalam esse Iacob, qua ad perfectionis altitudinem, hoc est ad Dei conspectum unionemque concenditur; earumdem vero neglectionem praecipitem esse descensum, quo e virtutibus in vitia, e plano ac stabi loco in praerupta saxa infelicissime delabimur.

382. Licet ergo Ordo noster, ubi primum a sancto Pontifice Pio V in Religionum numerum relatus est, Regulae divi Augustini ab eodem subiectus sit, pecuniaribus tamen legibus et Constitutionibus ad instituti sui rationem accommodatis, facultate super hoc ab Apostolica Sede obtenta, hactenus innixus est et ex illis in divino famulatu, non ex aliqua alia regula, ad chari-

tatis amplitudinem et propositam perfectionis normam dirigi consuevit.

383. Constitutiones vero, quas diuturna tot annorum experientia, tot Patrum in celebratis hucusque Comitiis prudentia, diligentia, solicitudo edidit et conscripsit, additis precibus ac ieuniis ad divinum in re tanta lumen implorandum, in novissimo anni MDCXXV generali Capitulo rursus quam fieri potuit diligentissime accuratissimeque ad examen revocatae et Patrum omnium per secreta suffragia approbatae consensu, decretum est, ut Apostolicae firmitatis robore communiae quam primum imprimerentur et evulgarentur, ne ab earum observatione quemquam excusaret ignoratio.

Nuper autem, praescriptis Codicis Iuris Canonici conformatae iussu Sacrae Congregationis de Religiosis praehabitoque consensu generalis Capituli, prout de iure revisae sunt et a Sede Apostolica iterum approbatae.

384. In primis ergo etsi cupimus leges Constitutionesque nostras a Nostris haberi tamquam externa ad minicula et incitamenta religiosae perfectionis ac proinde eas in omnibus rebus quantumvis minimis ab omnibus sancte inviolateque observari; cum tamen optemus Nostros omnes securos esse aut certe adiuvari, ne in laqueum incident alicuius peccati, quod ex vi Constitutionis proveniat; declaramus nullas ex nostris Constitutionibus obligationem aliquam ad culpam sive mortalem sive veniale inducere, nisi unius ex tribus votis sit illi adnexa violatio vel contemptus accedat vel praecipsum in virtute sanctae obedientiae vel censura ecclesiastica vel aliquid simile, quod sua natura eum, qui legi non obtemperaverit, peccato reddat obnoxium.

385. Ne autem idcirco vigor seu etiam rigor religiosae disciplinae deferveat (qui ubi semel in Religione

remititur, deformari statim eiusdem Religionis decorum, omniumque rerum spiritualium nauseam ac integrum sequi necesse est) volumus, ut poenarum usus apud nos et cum Nostris omnino vigeat, ita ut minima etiam delicta numquam dissimulentur, si in illis vel notetur vel timeatur disciplinae neglectus.

386. Hic ad evitandum evitanda statuimus et declaramus, in poenam nullam ante declarationem incurri, quamvis apposita illi essent consueta verba «*sub poena, etc. ipso facto incurenda*»; secus de poena excommunicationis latae sententiae, quae statim afficiet, et de casibus in iure expressis.

387. Cum omnia legibus comprehendendi non possint, si res occurrerit, de qua nostrae Constitutiones nihil decreverint, agatur tunc ex iuris communis praescriptione et cum Seniorum consilio, ad rectas conscientiae et prudentiae regulas.

388. Si dubitatio aliqua vel obscuritas emerserit, quae interpretationem aut declarationem postulare videatur, ad Capitulum generale vel ad Definitorium res tota deferatur: interim tamen Praepositus generalis, quid faciendum sit, statuat cum consilio Consiliariorum.

389. Quidquid in uno generali Capitulo aut Definitorio fuerit in Domino statutum, curabunt Superioris suo in primis exemplo, ut omnes magna cum humilitate et alacritate illud amplectantur et observent: sed inter Constitutiones non referatur, nisi ita faciendum per vota secreta subsequentis Capituli generalis Patres censuerint et accedente insuper approbatione Sedis Apostolicae.

390. Singulis sextis feriis inter refectionem vel alia hora et alio loco, de consensu Praepositi generalis, publice legatur unum caput Constitutionum, et sta-

tis temporibus decreta Sanctae Sedis, si quae publice legenda praescriperit et decreta quae a Capitulis generalibus, Definitoriis, aut a Patre generali emanaverint: quae decreta statim imprimi mandamus et ad Superiorum locorum mitti, ut ad omnium notitiam deviant.

391. Laicis capita illa, quae ad eos spectant, ob illorum latinae linguae imperitiam idiomate vernaculo explicentur a Patre Vicesuperiore vel ab alio Sacerdote de Superioris mandato semel in hebdomadam idque festis diebus, quibus et ad legum observationem et ad spiritualem profectum ab eodem diligenter et accurate ut animentur, volumus et hac in re Superiorum conscientias oneramus.

392. Immunitates a choro, a triclinio, a communibus cibis et aliis legibus non passim nec sine causa urgenti, et ea tantum durante, concedantur: et, si quae concedendae fuerint, Praepositus generalis ad annum dumtaxat et non ultra, Praepositi provinciales ad quatuor menses, ad brevissimum tempus Superiores, prout suis subditis opus fuerit, dispensare possint: et tam ille, quam isti proximum Definitorium de causa sive causis factae dispensationis commonefaciant. Perpetuae exemptiones soli Capitulo generali ex causa reservantur.

393. Novae Constitutiones numquam fiant, neque iam factae immutentur, nisi gravis adsit necessitas et accidente approbatione Sedis Apostolicae, cui praesentes Constitutiones reservantur; sed aliqua alia ratione provideatur, prout in Domino melius visum fuerit.

394. Quod si in novis ordinationibus seu statutis faciendis aliquid obrepserit, quod sacris Canonibus, Conciliis, Decretisque Summorum Pontificum adersetur, nullius sit momenti, nisi ex privilegiis Ordini nostro concessis robur et auctoritatem desumpserit.

## CAPUT III.

## DE HORIS CANONICIS.

395. Clerici nostri, statim atque professionem solemnem emiserint, ex eo tempore ubicumque degere illos contigerit, ad horas canonicas ex Romani Breviarii praescripto rituque persolvendas tenentur.

396. Laici (non quidem eo praecepto, sed poena per Constitutiones et Superiores infligenda) si legere sin secus tertiam partem Rosarii Marialis loco Officii recitare teneantur. Iidem, nisi legitime impediantur, Vesperis, cum decantantur, intersint.

397. In domibus, quae a Definitorio ad hoc ipsum nominabuntur, totum divinum Officium in choro quotidie recitetur, ita tamen ut Matutinum semper antecedat et aliae partes Officii iuxta rubricas, quoad fieri potest, recitentur.

398. Clerici nostri simpliciter professi tenentur tantum ad recitationem sive privatam sive communem Officii parvi beatae Mariae Virginis, non tamen sub culpa lethali: in domibus, ut supra designatis, ipsi quoque tenentur choro interesse et cum aliis horas canonicas psallere.

399. Quoad Missam et Officium sive sancti Hieronymi Aemiliani, Patris et Fundatoris nostri, sive beatae Mariae Virginis sub titulo «*Matris Orphanorum*» sive aliorum festorum, Nostri omnino tenentur uti nostro Kalendario, ut in «*Proprio Officiorum Ordinis*».

400. In festo S. Petri Martyris, qui dies est nostri Ordinis natalis, in nostris dominibus unica missa pro gratiarum actione, si ritus diei permittat privatim celebretur et ubi possibile est sollemniter decantetur. Clerici et Laici post peccatorum confessionem ad sacram Communionem accendent et professi omnes coram Superiore vel eius delegato ad formulam in Rituali editam vota obedientiae, paupertatis et castitatis pio affectu renovabunt. Haec vero votorum renovatio ut quotidie post matutinam mentis orationem a Nostris privatim fiat, maxime cupimus et vehementissime eos hortamur, sed in praecipuis sollemnitatibus et praesertim prima die ianuarii maiori cum pietate ac caeremonia ab omnibus ut fiat, Superiores sua charitate, suis item cohortationibus consequi nitentur.

401. Singulis sabbatis, vespertino tempore, circa signum salutationis angelicae vel alia hora a Capitulo collegiali statuenda, canantur in choro Litaniae beatae Mariae Virginis cum antiphona «*Salve Regina*» vel alia, qua eo tempore divinum Officium ad praescriptum Romani Breviarii terminari consuevit: idem fiat in vigiliis et festis diebus eiusdem beatae Virginis.

402. Nemo sine venia aberit a choro vel ab eo recedet et omnes adesse curabunt, dum datur ultimum campanulae signum. Curet Superior tum admonitionibus, tum etiam poenis, si opus sit, ne quis in legendo aut psallendo error vel abusus obrepat. Ostia chori, si per ea facilis esse poterit saecularibus in chorum aditus, clausa sint, dum Nostri Officia divina persolvent. Candelae cereae saltem duae tam pro feriis quam festis diebus, dum recitantur horae diurnae, ardeant super altari. Collocutionibus, risu et nutibus mentem dissipatam et evagantem indicantibus omnes abstineant.

403. In recitandis horis canoniciis studeant, ut voce

continenti ac perpetua, non flexionibus ac minuritio-  
nibus variata, psallant omnes: moderata in pronun-  
tiando tarditate utantur: simul incipient, simul desi-  
nant, mediis in versiculis paululum interquiescant, in  
extrema versiculorum syllaba ne immorentur. Denique  
et pietatis affectum exprimant ipsi et eundem in au-  
dientibus excitent.

404. Chorum quoties aliquis ingreditur, poplite ad  
terram usque flexo, sanctissimum Eucharistiae sacra-  
mentum adorēt; inde ad Superiorem conversus debi-  
tae reverentiae signum eidem exhibeat: quod et facien-  
dum est, quoties e choro quis egreditur. Decens corpo-  
ris habitus ubique retinendus est, sed in choro prae-  
sertim, ubi divinis astantes mysteriis supremum om-  
nium Regem alloquimur.

405. In choro haec ab omnibus accurate disciplina  
servetur, ut antequam Superior sedeat, sedere nemo  
audeat: ut simul omnes adsurgant; cum dicitur «*Glo-  
ria Patri*», cum nomen Iesu seu Mariae pronuntiatur,  
caput simul detegant et inclinent, dum cantantur an-  
tiphonae, omnes qui stant a lateribus chori vel nimium  
distant a libro, in medium prodeant: si in cantu erre-  
tur, nemo errantes corrigat, nisi Superior vel qui can-  
tūi praeest: ut levitatem, multo magis immodestiam se-  
dendo, eundo, stando, genua flectendo unusquisque de-  
vitet, ut silentium omnino et praescriptae in Romano  
et in nostro Rituali caeremoniae exacte serventur.

406. Officia et missae Sanctorum, quorum nostris  
in ecclesiis insignes reliquiae custodiuntur, ritu ab Ec-  
clesia concesso celebrentur et debita cum veneratione,  
servatis de caetero servandis, ipsae reliquiae festis eo-  
rum diebus exponantur.

#### CAPUT IV.

##### DE MISSARUM CELEBRATIONE ET MORTUORUM EXEQUIIS.

407. Sacerdotes nostri rem sacram quotidie pera-  
gere current ad Missalis Romani praescriptum et iuxta  
Ordinis nostri Kalendarium, hora et loco constituendis ab eo, qui huic muneri praeerit, ad cuius nutum  
praesto omnes esse debebunt.

408. Clerici et Laici nostri legitime non impediti  
quotidie sacro intersint.

409. Missae novae, quae debita cum sollemnitate  
dicendae sunt, ne celebrentur in ecclesiis alienis sine  
Praepositi generalis vel provincialis licentia: in voti-  
vis et anniversariis nemo defraudetur. Missam novam  
nemo celebret, qui in ritibus et caeremoniis non bene  
sit instructus, iudicio Superioris.

410. Ritus et caeremoniae ex praescripto Missalis,  
Caeremonialis Romani et Ritualis nostri accurate ab  
omnibus observentur. Superiores exemplo sint aliis et,  
ut subditorum unusquisque in iisdem excellat, studiose  
curabunt.

411. Quamobrem ex Sacerdotibus aliquem in cae-  
remoniis maxime peritum et exercitatum constituant,  
qui Sacerdotes alios et Clericos instruat diligenter,  
vitia vel minima notet, iisque indicet; ab eodem vero  
doceri nemo erubescat; petere non gravetur; si corri-  
gatur, id aequi bonique consulat.

412. Huius munus erit omni studio et diligentia  
emiti, ne in solemnibus missis, horis canonicas, suppli-

cationibus aliisque functionibus, iis praesertim, quae Maiori Hebdomada fiunt, ac praecipuis totius anni solemnitatibus confusio aut error aliquis obrepatur, unde spectantium oculi et animi offendantur.

413. Sed ut omnia exquisites et cum decore peragantur, pridie quam missa sollemniss vel alia publica functio in ecclesia celebretur, Superior cum Seniorum consilio schedulam conscribi eamdemque loco consueto iubebit affigi distincte continentem munera et officia, quae unicuique ea in sollemnitate erunt obeunda. Ceterum ut in caeremoniis religiosam gravitatem, ita in ecclesiis et in functionibus omnibus eiusmodi cultum, gestum, incessum in Nostris desideramus, ut veros Dei ministros nosmetipsos repraesentemus.

414. In ecclesiis alienis, praecipue Monialium aut puellarum (Confessariis et iter agentibus exceptis), celebrare Nostris non liceat absque Superioris facultate, quae sine iusta ratione minime concedatur.

415. Si quid celebranti Sacerdoti occurrerit, de quo admonendus sit Clericus vel alter, qui illi inserviat, id faciat submissa voce et a charitate admonitio ortum habeat. Legitime tamen ad Superiorem vel ad Vicesuperiorem, absente Superiore, spectabit errantium correctio.

416. Extra nostras ecclesias onera missarum celebrandarum nulla recipientur.

417. Missarum et divinorum Officiorum et aliae quaecumque obligationes perpetuae non accipientur, nisi cum expressa licentia Praepositi generalis vel Definitorii; acceptarum vero extet tabella in singulis sacrariis, quae illas fideliter exprimat et quotannis a Praeposito generali vel provinciali visitationis tempore recognoscatur. Iisdem ut suo tempore satisfiat, operam dabunt sedulam Superior et Aeditus: pecuniae

vero seu bona mobilia pro huiusmodi obligationibus accepta in bonis stabilibus fructiferis quam primum implicentur et ad normam sacrorum Canonum administrantur.

418. Nemo, etiamsi sit Superior, non sibi subditis missas dicendas vel applicandas assignet; sed si numerum missarum excedentem habeat, quae debito tempore celebrari nequeant, potest Superior de consensu Superiorum maiorum eas celebrandas tribuere vel aliis nostris domibus vel etiam Sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio Ordinarii commendatos. In exitu autem cuiuslibet anni missarum onera, quibus non fuerit satisfactum, suis Superioribus maioribus tradat, secundum modum ab his definiendum. Nemo ab alio praeterquam a proprio Superiore missas celebrandas recipiat sine expressa licentia Superiorum maiorum.

419. Simul cum Sacerdote ad missam se praeparante orent, genibus flexis, qui eidem inservitri sunt, Deumque precentur, ut sacrificium illud digne offeratur.

420. Current nostri Sacerdotes ut dum divinam rem faciunt, internae pietati et religioni externam coniungant gravitatem, modestiam, reverentiam.

421. Studeant unius esse moris in domo Domini et voce, pronunciatione, devotione, quantum fieri poterit, consimili celebrent: quod si quis aliqua in re delinquat et praesertim in festinatione nimia, postquam bis aut ter admonitus a Superiore fuerit nec se ipsum correxit, Superior cum voto Seniorum et Praepositi provincialis, ultimum post Sacerdotes ubique sedere iubeat; et domo non egrediatur, donec emendetur.

422. Sine tonsura neque Sacerdotes neque Clerici

ad altare accedant: Laici non nisi mundi ac decenter tum vultu tum vestitu compositi.

423. Quoties aliquis ex nostris Professis vel Novitiis obierit, illius Superior Superiores omnes statim commonefaciet.

424. Suffragia pro nostris defunctis sive Professis sive Novitiis eadem celebrentur in omnibus nostris dominibus, nempe integrum Officium defunctorum et unica missa lecta.

In loco autem ubi decesserit, post recitatum Officium defunctorum, cantabitur missa sollemnis cum exequiis: ibique, si defunctus fuerit Superior localis aut aliquis ex Superioribus maioribus, praeter haec suffragia tres missae pro illius anima ab unoquoque nostrorum Sacerdotum celebrabuntur.

Clerici omnes sacra se Communione reficiant pro defuncto et idem praestabunt Laici, qui etiam Officium defunctorum vel Rosarium beatae Mariae Virginis devote recitabunt.

425. Pro Aggregatis ad *habitum* et Hospitibus integrum Officium defunctorum persolvetur tantum in domo decessus, ubi etiam unica missa a singulis Sacerdotibus celebrabitur praeter missam sollemnem.

426. Prima die post Commemorationem Omnium Defunctorum non impedita, in omnibus nostri Ordinis ecclesiis anniversarium fiat pro nostris defunctis Religiosis et Aggregatis: et si id permittant missarum obligationes, quibus ex iustitia satisfacere debemus, curet Superior, ut praeter missam sollemnem aliae etiam missae privatae pro iisdem celebrentur.

427. Nostrorum cadavera, postquam religiosa charitate composita fuerunt et nostri Ordinis habitu convestita: si Sacerdotes sint, sacris superinduantur vestibus; si Clerici, superpelliceo supra vestem, tum pileo

quadrato; si Laici, consueto ipsorum indumento. Eadem decenter teneantur et sepeliantur ad praescriptum nostri Ritualis. Dum in cubiculo est cadaver, solum numquam relinquatur: tempus et locus tumulationis erit iuxta praescripta iure communi et iuxta probatas consuetudines.

428. Si Rectorem Orphanorum mori contigerit, conficiatur statim per Vicerectorem coram Commisso vel per eundem Commissum, si aliis ibi non adsit ex nostris Sacerdos, rerum omnium, librorum, pecuniarum, scripturarum, quae ad Religionem spectare videbuntur, et totius supellectilis inventarium cum iuramento subscriptum, quod statim ad Praepositum generalem mittendum erit, omniaque interim vel a Vicerectore vel a Commisso diligenter custodientur.

429. Singulis mensibus pro Religionis nostrae necessitatibus, pro bono illius regimine, pro spirituali profectu et eiusdem Religionis incremento, missa unica de Spiritu Sancto, additis orationibus beatae Mariae Virginis et pro Praelatis et Congregatione, in unaquaque ex nostris ecclesiis celebretur: dies vero ad hoc sacrum faciendum statuatur quotannis in nostro Kalendario, servatis fideliter rubricis in hac re servandis.

430. Cum duos eodem tempore Sacerdotes in ecclesia celebrare oportuerit, provideat sacrarii Praefectus, ne uterque simul missam incipiat; et ipsi etiam celebrantes ita vocem moderentur, ut unus alterum non impeditat.

431. Quoties vel negotium aliquod vel personam Deo commendari Superior iusserit, scheda, quae id revocet in memoriam, affigatur eo in loco, ubi Sacerdotes celebraturi orare consueverunt.

432. Externis Sacerdotibus sacrum facere nostris in ecclesiis non permittatur, nisi prius explorata Su-

perioris voluntate et servatis caeteris de iure servandis.

433. Pro nostris benefactoribus praeter quotidianas preces, quae a singulis Professis et publice et privatim fient, hortamur etiam, ut Sacerdotes in missis, quandocumque poterunt, aliis orationibus addant Collectam «*Deus qui charitatis*», caeteri non Sacerdotes coronam beatae Mariae Virginis frequenter recitent.

434. De celebrandis apud nos funeribus fidelium, si quando casus contingat, praescripta iuris canonici accurate serventur, ne hac occasione pax cum Parochiis perturbetur neve a fortiori scandalum fidelibus praebeatur.

## CAPUT V.

### DE ECCLESIIS ET EARUM SUPELECTILI.

435. Nostris in ecclesiis huiusmodi nitor effulgeat qui potest esse maximus, omnique studio divinum cultum et christianam pietatem promovere et augere enuntiantur Superiores. Itaque Sacrosanctum Christi Corpus in omnibus ecclesiis, etiam Orphanorum, asservetur et octava quaque die renovetur: id muneris alicui Sacerdoti ex subditis a Superiore iniungatur et claves diligentissime custodiantur.

436. Oleum infirmorum nulli desit ex nostris domibus, quotannis renovetur et in ecclesia in tuta decenti custodia sub clavi diligenter asservetur, servatis caeteris de iure servandis.

437. Sanctorum reliquiae loco tuto ac decenti collectentur et publico cultu eae solae reliquiae honorentur, quas genuinas esse constet authentico documento.

438. Praecipimus autem et inhibemus in virtute sanctae obedientiae, ne quisquam ausit partem etiam minimam reliquiarum quovis praetextu, vel suo vel alieno usui desumere aut subtrahere sive per se sive per alium; et eodem pracepto teneri declaramus etiam Superiores, qui reliquias ab aliis desumi aut subtrahi permiserint.

439. Sacrae vestes, aulaea, tapetes, altarium pallia,

candelabra, calices, reliquiae, reliquiarum thecae et consimilia, quae magni aestimantur, sine expresso per vota secreta Capituli collegialis consensu, commodentur nemini extraneo, servatis de iure servandis.

440. Hora seu tempus missas celebrandi praefigatur a Superiore cum voto Seniorum et Parochi, si ecclesia nostra sit paroecialis, iuxta necessitates et consuetudines loci.

441. Amplam habeant ecclesiae sacrariaque nostra et nobilem, quoad eius fieri poterit, supellectilem; ad quam comparandam, nisi defuerit in Superiore voluntas et animus, speramus, Deo adiutore, cuius ad gloriam ea dirigitur, neque vires defuturas: ad conservandam eamdem Superioris, Vicesuperioris et omnium, quorum intererit, diligentiam curamque desideramus maximam, neque ad usus profanos adhibeatur.

442. Corporalibus et purificatoriis crux designetur iuxta instructiones liturgicas. Idem fiet in sudariolis, quibus sacrificantes post digitorum ablutionem utuntur, ne alium in usum adhibeantur.

443. Calices et patenae auro obducantur saltem interius, si ex argento conflata fuerint, et ita sint nitida, ut nullae in eis maculae conspiciantur.

444. Curet Superior, ut omnium altarium, aut saltem minorum, pallia sint uniusmodi, ut mutentur pro temporum et festorum varietate.

445. Supellectilium omnium ecclesiae et sacrarii index quotannis diligenter renovetur coram Vicesuperiore et uno ex Senioribus, a quibus et ab Aedituo subscribatur; duoque fiant illius exemplaria, quorum alterum apud Superiorem, alterum apud sacrarii Praefectum conservetur.

446. In ornandis nostris ecclesiis nihil umquam adhibeatur, quod vanitatis seu levitatis speciem oculis

intuentium obiiciat. Tabernaculum in interiori parte circumvestiatur et exornetur et claves illius auro vel argento inducantur iuxta praescriptiones liturgicas. Nihil fiat, nihil current Nostri ab externis sibi commodari, inscio et inconsulto Superiore et quaecumque petentur, custodiantur caute, aliis non accommodentur, statim restituantur.

## CAPUT VI.

## DE CANTU ET EIUS USU.

447. In nostris ecclesiis missae officiae divina et preces quaecumque fuerint decantandae, ex antiquissima Ecclesiae Romanae consuetudine, stabili sive firme, ut vocant, cantu concinantur. Modus canendi ubique uniusmodi sit et cum religiosa gravitate congruens.

448. Levitas in cantando, quae vel ex suavitate vocis vel ex cantus scientia plerumque solet obrepere, omnino fugiatur; sed eadem et vocum consonantia et morum concordia servetur ab omnibus.

449. Huiusmodi cantus usum, ubi iam invectus sit, non liceat Superioribus sine Definitorii consensu tollere, neque Definitorium illius tollendi potestatem, nisi bene cognita causa et per secreta suffragia comprobata, cuiquam faciat.

450. In omnibus nostris collegiis unus a Superiore constituatur (hic autem vel Sacerdos erit vel sacris saltem initiatus) qui cantandi peritus alios, et praesertim adolescentes, rite instruat: cuius etiam munus erit meditari et disponere quae in choro publice canenda erunt, cantum et chorum moderari. Ad huius voluntatem et vocem reliqui omnes propriam voluntatem et vocem sine ulla contentione conformabunt.

451. Cum festum aliquod occurrerit, praesertim Titularis ecclesiae vel Quadraginta horarum, tribus ultimis bacchanaliorum diebus, supplicatio, quam in

omnibus nostri Ordinis ecclesiis laudamus sollemniter fieri; vel nova missa vel indulgentia visitantibus ecclesiam concessa seu aliquid simile, tunc permittitur usus illius cantus, qui musicus sive figuratus nominatur, sed peculiares leges liturgicae circa musicam sacram omnino serventur.

452. Cantum figuratum ad relaxandos animos recreationis tempore Nostris non interdicimus, modo tamen privatim intra claustra et moderate adhibeatur, amotis prorsus iis cantionibus, quae lascivum aliquid sive impurum continent.

453. Organa in propriis dumtaxat ecclesiis pulsare Nostris permittimus; harmonicum cantum in alienis ecclesiis Nostri ne exerceant absque speciali Superiorum licentia.

---



---

## CAPUT VII.

### DE ORATIONE MENTALI.

454. Mentalis oratio nullo modo praetermittatur cum, teste divo Ioanne Chrisostomō lib. I «*De orando Deum*», impossibile sit sine illius praesidio cum virtute vitam degere et egregiae dotis in animo quidquam possidere. Illud certissimum est neminem a Religione ad saeculum saeculique mores deflexisse, qui prius orationis studium per neglectum non deseruerit; neminem e contra in Religione virtutibus fuisse conspicuum, neminem miraculis et vitae sanctimonia illustrem, qui in orationis et meditationis studio seipsum die nocteque non exercuerit.

455. Quotidie igitur bis a Nostris omnibus orationi mentali incumbatur, mane et vespere. Quod sicubi contigerit pro rerum adiunctis, ut impossibile sit bis in die omnes Religiosos ad communem hanc duplēcē orationem colligere, Superior de consensu Praepositi provincialis, curet ut altera semper sit communis, altera privatim fiat. Utraque ad semihoram prorogetur. Ad utramque etiam Laici obligantur et hac in re Superiorum conscientias oneramus.

Semihora elapsa, lector Superiorem admonebit dicens «*Benedicite Pater*», et gratiarum actione recitata, incipiet Litanias, ut in Rituali.

456. In omnibus nostris collegiis, academiis, orphanotrophiis omnes Nostri, nisi quem morbus excuset, ad orandum in ecclesiam, chorū vel oratorium pro locorum commoditate praescripto tempore convenient.

457. Religioso, qui forte ratione officii habitualiter ab oratione mentali communi arceatur, Superior opportunum tempus assignabit, ut privatim quotidie dictae orationi incumbat.

458. Orationi praemittatur brevis lectio ex aliquo meditationum libro ad Superioris iudicium. Interim dum oratur, nemo horas canonicas vel alias preces recitat, ne a meditatione distrahantur alii et ipsem, qui vocaliter orat, mentaliter orare desuescat.

459. Invigilet Superior ne quovis praetextu quispiam absit a communi oratione et ex iis, qui adsunt, nemo recedat, nisi gravi compulsus necessitate, petita prius benedictione.

460. Frequenter Superior de hac re privatim cum singulis, publice cum omnibus sermonem instituet, orationis utilitatem necessitatemque explicabit: idem per domesticos Confessarios, per Seniores, per Magistros Novitiorum et Professorum privatis in colloquiis faciendum sedulo curabit, inexpertos erudiri iubebit et ipsem ad se benigne vocatos instruet, de singulorum progressu solicitem se mirum in modum exhibebit.

461. Nostri etiam omnes diligenter studeant, quapiis de oratione tractatibus legendis, qua sermone cum versatis hac in re hominibus habendo, et orandi pertitiam comparare et eamdem naviter exercere: fieri enim non potest, ut qui foecundissimo virtutum studio deditus est, feliciter in iis non proficiat.

462. Superiores graviter in eum animadventent, quicumque is fuerit, qui orandi assiduitatem, vel sensuum et appetitionum coercendarum studium, quam

mortificationem dicimus, sive alia pietatis exercitia, etiam per iocum vel ridiculis vel saecularibus nominibus alteri exprobrare ausus fuerit, interdicta etiam illi, si ita videbitur, aliorum consuetudine.

463. Vesperi, antequam Nostri cubitum discedant, diligenter conscientiam discutient suam et quomodo diem illum pertransierint sedulo perquirent.

## CAPUT VIII.

### DE PECCATORUM EXPIATIONE ET SACRA COMMUNIONE.

464. Sacerdotes, qui quotidie sunt celebraturi et quos sanctos esse decet, ut sancta sancte administrent, saltem semel in hebdomada, praecipue diebus festis, peccata confiteantur timeantque, ne, si culpas leviores parvifaciant, gravioribus seipsos facile inquinent. Clerici quoque, Novitii et Laici nostri accedant ad Sacramentum poenitentiae semel saltem in hebdomada vel frequentius, si id exigat spiritualis profectus: propri tamen Confessarii iudicio se ipsum unusquisque subiiciat.

465. Subditorum confessiones non excipient Superiores, nisi rogati ab iis subditis qui sponte sua et motu proprio id petant, et sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

466. Superiores Confessarium vel Confessarios pro numero Professorum, Novitorum, aliorumve in religiosa domo diu noctuque degentium causa famulatus, aut educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis designabunt ex discretioribus et prudentioribus cum facultate absolvendi etiam a reservatis in Religione, si quaedam reservari contigerit.

467. Tamen si quis ad suae conscientiae quietem desideret confessionem peragere apud Confessarium inter designatos non recensitum, sed tamen adproba-

tum ab Ordinario loci, ab eo absolvi potest etiam a casibus in Ordine reservatis.

468. Insuper quater saltem in anno religiosae familiae Confessarius extraordinarius assignetur.

469. Quotannis in Quadragesima generalem totius anni confessionem, praemissa oratione et diligenti examine, Nostri omnes, ut faciant, iuxta prudens Confessarii iudicium, magnopere cupimus et Superiores suis exhortationibus suadebunt.

470. Maxime hortamur ut Superiores nostri promoveant inter Clericos, Laicos et alios suos subditos ac familiares frequentem, etiam quotidianam Sanctissimi Corporis Christi receptionem, quae omnibus rite dispositis quotidie libere pateat. Quod si abstineant, aut qua de causa impedianter quominus ad Sacram Communionem accedant, nihilominus, sanctissimo missae sacrificio quotidie adstantes, spirituali Communione seipsos reficiant.

471. E choro Communionis gratia cum egredientur, exteriorem reverentiam cum interiore coniungent: exterior in membrorum compositione, in oculorum depressione, in modestia, in gravitate, in deferendis iunctis ante pectus manibus, in genibus ad terram usque flectendis statim atque ad altare maximum omnes accesserint, quod regulariter pro Nostrorum Communione deputamus: interior vero in religionis, humilitatis, fidei, spei, charitatis et reliquarum virtutum exercitationibus posita est.

Clerici superpelliceum induant, Laici pallium, quoties Augustissimo hoc cibo refici debebunt.

472. Post sacram refectionem per semihoram vel circiter omnes in choro remanebunt ad gratias Deo pro accepto munere agendas: ex Clericis professione maximus vel alias a Superiore seu Magistro designan-

dus, semihora elapsa, signum dabit reliquis, qui simul terram exosculati consurgent et, nisi recitandae fuerint horae diurnae, ad propria cubicula silentio proficiantur.

473. Feria quinta Maioris Hebdomadae, omnes Religiosi, etiam Sacerdotes, e manu Superioris vel alterius sollemniter celebrantis Eucharistiam suscipiant.

## CAPUT IX.

DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA ERGA  
SUPERIORES ET SENIORES.

474. Neminem ad perfectionis fastigium expeditius velociusque vero obidente currere Nostri pro certo habeant. Quamobrem ita sit unusquisque ad obedientium paratus ut in iis statim exequendis, quae a Capitulo generali vel a Definitorio sive a Praeposito generali aut a Superioribus sancta fuerint, «*nec corpori tarditas*», quod monebat divus Bernardus, «*nec cordi tepida resistat voluntas*».

475. Veri obedientis, eius nimirum, qui Iesu Christi vestigiis securus insistit, boni sint aemulatores Patres et Fratres nostri. Is vero non expressam solum, sed tacitam etiam Superioris voluntatem, quoties eam præsagire potest, exequendo prævenire contendit, et non qualis sit Superior, sed quem repraesentet cogitans, totus ab illius voluntate pendet.

476. Qui vel invitus vel obmurmurans vel metu poenarum obedit, is indignus est eo, quem gerit, habitu, indignus aeterna felicitate, in quam dator hilarius, non durus, non contentiosus legis executor ingreditur.

477. Qui ab obedientia in aliquo officio aut ministerio constituetur, ad quod præstandum existimet sibi eruditionem vel prudentiam vel auctoritatem vel animi fortitudinem deesse, postquam animi sui sensum Supe-

rioribus humiliter aperuerit, animum exinde non abiiciat, sed obedientiae tamquam caelesti auxilio innexus, rem aggrediatur et speret in Deo, quia ipse faciet.

478. Cavebunt subditi, ne studium perfectionis et zelum regularis instituti conservandi, rigiditatem et severitatem in Superiore compellent. Nolint proprio detrimento indulgentiorem sibi eum reddere. Quicquid ipsis negatur, quicquid contra voluntatem iniungitur, expedire id divinae gloriae et suae perfectioni arbitrentur.

479. Si quid a Superiore petendum sit, id Nostri precibus importunis vel alia minus religiosa ratione ne extorqueant, sed cum humilitate et proprii iudicii abdicatione petant.

480. Frequentes locorum mutationes horreant Nostri, ut quae inquietum animum et propriae voluntatis affectum effectumque nimis aperte indicant.

481. Locum peculiarem solicita cupiditate et postulatione quaerere, vel munus ambire fas sit nemini. Qui sic quaesierit aut ambierit, numquam obtineat: sed neque locum aut munus assignatum ab obedientia pertinaciter recusare quisquam ausit.

482. Ad communes actiones chori, capitulo, triclinii et alias, quae per signa campanulae indicuntur, tamquam ad vocem Domini vocantis, nulla interiecta mora, omnes et primi omnium Superiores accurrant.

483. Negotium aliquod aggredi vel promovere, seu curam quamlibet suscipere, etiam pietatis praetextu, ut litis componendae, pacis conciliandae, defensionis viduarum vel pupillorum procurandae et aliarum rerum, nemini liceat, nisi re prius cum Superiore communicata et de illius licentia: rebus autem saecularium ut perquam raro sese Nostri immisceant, præsenti constitutione decernimus.

484. Nemo literas commendatitias sibi aut aliis emendicet, ut obedientiae reluctetur vel ut illam impedit et remoretur.

485. Nihil vile putemus, nullum officium abiectum, nihil ab honore nostro alienum, quod nobis per obedientiam Deus iniungat, sed nobiscum reputemus, eum in oculis divinae maiestatis illustriorem esse, qui omnium sit humillimus et sui ipsius contemptum rebus in omnibus quaerat.

486. Excusationes languentium virium, insalubritatis aëris et huiusmodi, quae interdum afferuntur, non admittantur, nisi ipsemet Superior, medicum prius allocutus, loci mutationem alicui necessariam esse suis ad Patrem generalem vel ad Praepositum provincialem litteris affirmet.

487. Superiorem patrem esse subditi existiment et eadem fiducia rebus in omnibus ad ipsum, qua filii ad genitorem, accedant.

488. Eorum consilia, qui Ordinem administrant, caeteri nolint curiose perscrutari, multo minus improbare: subditos tamen hortamur, ut si quid ipsis occurrerit, quod vel publico Ordinis vel privato alicuius domus seu etiam personae commodo prodesse posse videatur, rem ad Praepositum generalem vel provincialem seu etiam ad proprium Superiorem referant: sed quicquid ab iis postea decretum fuerit, et ipsi statim tamquam prudenter factum collaudent.

489. Quae in Capitulis generalibus vel Definitoriis statuenda erunt, nemo audientibus aliis quasi divinando audeat conjectare, nemo per iocum exponere, nemo talia exponentem audire; quae vero iam definita fuerint, si quis carpere ausus fuerit, severe puniatur.

490. Clerici primae et secundae probationis Laicique iuniores, nondum sollemniter professi, si a suo Su-

periore ob culpam aliquam reprehendantur vel corriganter, humiliiter statim genua flectant, iungant manus ante pectus et demisso capite patienter auscultent; alii omnes correptionem libenter admittant.

Obloqui vel respondere Superiori corripienti atque etiam corrigenenti audeat nemo, sed Deum corripientem et corrigenatem in Superiore revereatur, sieque cum precatione veniae culpam unusquisque agnoscat et emendationem, Domino adiuvante, promittat.

491. Superiorem qualemcumque Deus dederit, reverentia et honore maximo, ut eum, qui Dei locum tenet et per quem divina nobis voluntas innotescit, prosequantur omnes, ii in primis, qui aetate, auctoritate, doctrina et ingenio aliis praestant.

492. Qui animo sunt erga Superiorem minus composito, curiosiores defectuum Superioris investigatores, qui eiusdem imperata, facta et dicta pravum in sensum detorquere solent illumque in contemptum inducere, si qui umquam reperientur, a reliquis omnibus tamquam animarum et Religionis pestes evitentur; nullis in Ordine honoribus decorentur, nisi diurna experientia emendati cognoscantur; et post unam aut alteram admonitionem vel correctionem a Praeposito provinciali aut a Definitorio poenis reprimantur, quae aliis exemplo sint et documento.

493. Caveant diligenter Nostri, ne cum familiariter invicem colloquuntur, vel in ipsa etiam nominis alicuius ex Patribus aut ex Fratribus appellatione quidquam irreverenter, scurriliter, contemptim nedum in honeste dictum aut factum ipsis excidat: caveant, ne dicacitate, iocis aut dictieris aliquem ita exagitent, ut provocent ad indignationem, sed inter ipsos religiosa semper intercedant colloquia, consuetudo et mores.

494. Cum Praepositum generalem nominare conti-

gerit, « *Reverendissimi Patris* » titulus praemittetur; quicumque eumdem adierit, genufexo eum reverebitur; tum humiliter explicabit animi sui sensum, sed numquam caput operiet, nisi ab eodem facta fuerit illi facultas; subditi cum Superiorem vel Vocalem Capituli generalis alloquentur et nominare voluerint, « *Paternitatem vestram* » dicent.

495. Inter loquendum et etiam scribendum Sacerdotum nominibus « *Pater* » aut « *Pater Don* » praeponatur, seu titulus « *Reverentiae vestrae* »; Clericorum, qui sacris iniciati fuerint, « *Don* »; simplicium Clericorum, « *Frater* »; Laicorum etiam idem titulus « *Fratri* » praeponendus semper erit.

496. Reverentia, charitas et cura erga aetate seniores talis sit in unoquoque nostrum, qualem decet esse filiorum in parentes optimos.

497. Iis, qui Praepositi generalis, Vicarii item generalis, potestate abierint, honor praecipuus cum exteriore observantia, ut Patribus de Ordine benemeritis, deferatur ab omnibus et praesertim a iunioribus.

498. Honore invicem seipsos Nostri praeveniant, sed cum religiosa simplicitate coniuncto, non affectato: et omnino illud observandum, ut in persona dignitas et gradus honoretur, isque honor cuique exhibeat, quem virtutes, gravis aetas et merita postulant.

499. Si quis consulto ac deliberate, multo magis si concitato ad iracundiam animo, alium ex fratribus alloqui vel salutare noluerit, statim per Superiorem moneat, ut omni deposita indignatione, communia signa charitatis et benevolentiae loquendo, salutando illi exhibeat. Quod si admonitus intra unius diei naturalis spatium id non praestiterit, gravi poena puniatur.

500. Qui aliis aliquando dignitate qualibet praefuerunt, si postmodum subditi cum iisdem versentur,

taciturnitatis, reverentiae, obedientiae reliquis sint exemplo.

501. Extraneos quoscumque de rebus ad nostrum Ordinem spectantibus quomodocumque, scripto vel ore, per se vel per alios consulere, non habita a Superiore licentia, omnino vetamus.

## CAPUT X.

## DE CASTITATE.

502. Castitatis amantissimos esse decet religiosos viros, cum ex divi Gregorii sententia, non sit opus bonum sine castitate, quae ut intemerata servetur, externae sensuum custodiae assidue invigilandum est et oculi praesertim custodiendi, occasiones etiam minimae illius labefactandae diligentissime sunt Nostris evitandae atque, ut evitentur, curam omnem et vigilantiam Superiores adhibebunt.

503. Mulierum familiaritates, etiam praetextū confessionum, instructionum spiritualium, aegritudinis vel coniunctionis sanguinis, maxime suspectae sint et omnino tollantur. Adolescentes in cubicula intromitti non permettit Superior; et qui hac in re etiam leviter deliquerit, graviter puniatur. Confessariis, Aedituo, illiusque socio exceptis, aliorum nemo mulieres in ecclesiis alloquetur, nisi consanguineas.

504. Maxime autem curandum est ut Superiores et quicumque ratione officii cum mulieribus colloqui debent, quam brevissimas teneant collocutiones et has quidem in collocutorio aut in loco patenti. Omnia deum caute evitentur et quae mala sunt et quae videntur in se retinere speciem mali.

505. Noverint Nostrri nullum esse vitium, quod in homine religioso ipsi etiam saeculares magis execrentur, quam incontinentiam.

506. Non solum peccantes contra votum castitatis (ut vero nemo umquam peccet optamus quam maxime) puniri severe mandamus, sed etiam suspecti hac in re qui fuerint, si paterne prius privatimque a Superiore correpti non resipuerint, obedientiae praecepto coram duobus ex Senioribus iisdem imposito aliisque poenis propositis, ad omnem tollendam suspicionem constringi volumus.

Quod si adhuc vigere suspicionem Superior animadverterit, tunc suspecti loco movendi erunt et denuntiatis antea poenis aut etiam gravioribus arbitrio Praepositi generalis vel provincialis afficiendi, et sedulo eō mittentur, quo fuerint ab obedientia ad residendum destinati. Suspiciones vero iudicentur a Superiori cum Seniorum consilio.

507. In Superiores autem et in Vocales Capituli generalis, quorum exemplum facile abit ad alios, severius semper animadventent Praepositus generalis et Praepositi provinciales, si forte (quod avertat Deus) ipsi se impunitatis labe aut gravi suspicione contaminaverint.

508. Iis omnibus, qui nostra consuetudine utuntur et delectantur, eiusmodi praebeamus puritatis indicium, ut in carne nos extra carnem vivere per Dei gratiam cognoscant, praedicent et Deum bonorum omnium auctorem collaudent.

## CAPUT XI.

## DE PAUPERTATE.

509. Quicumque Religionis agrum votis sollemnis emissis ingreditur, agrum sane emit thesauro reliquias paupertatis ditissimum, qui quidem thesaurus adeo caute custodiendus est, ut et nota quaelibet et ipsa etiam umbra proprietatis, qua thesaurus comparatus deperditur, omnino sit declinanda.

510. Ex concessione Sanctissimi Pontificis Pii V habere possidereque bona in communi potest quidem nostra Religio. nostris tamen sollemniter professis aliquid ut proprium retinere vel ut proprio uti, culpa sit contra votum paupertatis.

511. Quamobrem libros vel eorum aliquid, quae privatim ad usum conceduntur, peculiaribus signis aut propriis nominibus notare nostri prohibentur, immo et loquendo caveant, ne verbum illud « meum, ac tuum » ipsis excidat, quod speciem praesefert domini, sed « ad meum, ad tuum usum » dicant quidquid ad usum singuli apud se cum licentia Superioris habuerint.

512. Omnia communi supellectili addicta sint et in communem supellectilem Superioris ad voluntatem, vocem, nutum statim referantur.

513. Iis exceptis, qui domorum regimini et bonorum administrationi praeficiuntur, interdictitur aliis omnibus pecuniae usus et eiusdem tam apud se, quam apud alios, etiam in parva quantitate retentio.

514. Superiores omnino prohibentur alicui ex subditis usum pecuniae concedere seu dissimulando permettere.

515. Munera nemo sibi procuret, ab aliis oblata, etiam a Fratribus nostri Ordinis, nemo recipiat, iisdem et multo minus exteris nemo elargiatur. Nemo quidquam commutare cum alio, quicumque ille fuerit et quacumque dignitate emineat, sine Superioris obedientia, presumat.

516. Quaecumque bona tam mobilia, quam immobilia et quacumque ratione, iure, causa ad aliquem ex Nostris sollemniter professis pervenerint, vel iidem quocumque nomine acquisiverint, etiam si subsidia sint consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, donationes, tamquam propria aut etiam nomine collegii sive domus, nemo, etiamsi Superior sit, possidere possit. sed ea omnia statim Superiori tradantur et domui incorporentur atque cum caeteris illius bonis confundantur.

517. Superior subditorum cubicula interdum immo frequentius, si ita videbitur, inviset una tamen cum Vicesuperiore vel cum alio ex Senioribus, perlustrabit omnia et, si quid ex necessariis alicui deesse cognoverit, providebit quamprimum; si quid supervacuum, si quid a spiritu et puritate paupertatis alienum repererit, protinus auferet: ipse vero in primis studio et exemplo paupertatis praelucere debet omnibus.

518. Quoties Superior cubiculum subditi ingredi et visitare voluerit, hic petita benedictione, reverenti hilarique animo eumdem excipiat, nec moleste id se ferre vel solo nutu significet.

519. Cubiculorum parietes nudi sint, cubilia religiosa paupertate et munditie resplendeant, conopea et circa lectum velamina, quae cortinae nuncupantur, ipsi

etiam Praeposito generali nedum aliis interdicta sint; stragulum opertum serico a nullo adhibeatur. Imagines, quae cubicolorum parietibus affiguntur vel appenduntur, piae sint: imaginum ornamenta, reliquiarum sacrarumque rerum capsulae, quae vel materia vel artificio magni aestimantur, libri qui luxum redolent, etiamsi breviaria sint, diurna vel officia, omnibus vetita sunt. Esculenta et poculenta quamquam levia in proprium cubiculum sine licentia non inferantur, sed omnia in commune deferantur et in communis mensa distribuantur: Superiores hac in re vigilent et exemplo sint aliis.

520. Horologia aurea, nummus et munus ex auro et quaecumque res magni pretii vetantur nostris Religiosis, qui, si hac labe contra paupertatem defecerint et moniti non resipuerint, puniendi erunt pro gravitate culpae et dati scandali.

521. Habeat apud se Superior sive domus Oeconomus indicem rerum omnium etiam minimarum, quae in unoquoque cubiculo custodiuntur, neminique liceat quidquam cum alio commutare vel ex alieno in suum cubiculum inferre sine Superioris facultate; quam non passim nec sine legitima causa concedet et, si quando concesserit, in indicem statim id referet quod ab uno in aliud cubiculum translatum fuerit: et indices bis saltem quotannis renoventur.

522. Huius indicis exemplar extet in singulis cubiculis et per Superiorum vel Vicesuperiorum unicuique in iisdem commoranti tradatur, ut, cum eumdem oportuerit vel in aliud cubiculum migrare vel locum mutare, omnia prius Superiori vel Vicesuperiori coram Oecono mo ipse restituat, quae notata erunt in indice.

523. Libros, vestes, manuscripta, pecuniam, vel aliud quodvis si quis apud exterios, quamquam propin-

quos et consanguineos aut etiam Religiosos servandum deposuerit, si quis vendiderit, alienaverit, donaverit sine licentia in scriptis a suo Superiore habita, is proprietatis labe notatum et poena mulctandum sese noverit; sicuti eidem obnoxium criminis eum declaramus, qui titulo depositi vel eleemosynae vel restitutionis facienda gratia vel alio quolibet praetextu quidquam apud se detinuerit, non habita in scriptis a Superiore, cui indicari omnia singillatim volumus, benedictione et facultate.

524. Superiores ii etiam, qui in Orphanotrophiis protectorum saecularium administrationi subiectis commorantur, eleemosynas sibi datas in libello fideliter adnotabunt et visitationis tempore de omnibus et singulis rationem Praeposito generali, Praepositis provincialibus vel Visitatoribus ita reddendam sciant, ut proprietarii sint censendi, si quid pecuniae vel rem aliquam illis occultaverint.

525. Omnis supellex communis in aliquem commodum locum deferatur, ibique ab uno vel duobus ex nostris huic muneri deputatis diligenter custodiatur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possit, exceptis indusis et vestibus, quae sunt exclusive in usu singulorum personaliter.

526. Cavebunt autem Superiores, ne dum subditis ea, quae ad victimum et vestitum ac valetudinis curam necessaria sunt, religiosa charitate non providerint, occasionem illis praebant labefactandae paupertatis vel obedientiae. Subditi vero in usu distributioneque rerum omnium a Superioris voluntate prorsus pendebunt, nec quisquam vel aliquid superfluum vel ea sibi utenda permitti velit, quae nostris Constitutionibus et paupertati repugnare Superior iudicaverit.

## CAPUT XII.

DE CONFESSIONIBUS EXCIPIENDIS  
ET CURA ANIMARUM EXERCENDA.

527. Confessarii, qui nostris in Italiae locis ad audiendas confessiones admittendi erunt, in quolibet Definitorio nominatim designentur; praeter nominatos nemo, nisi obtenta in scriptis a Praeposito generali licentia et extra Italiam a Provinciali, si adsit Provincia formata, id muneris obeat. Hoc autem in ministerio, quod omnium fere, quae in Ecclesia Dei per eiusdem ministros exercentur, maximum est, videant Nostri ut caute sese gerant ne, dum aliorum animas laqueis peccatorum extricare voluerint, irretiant suas.

528. Nemo Episcoporum examinationi pro confessionibus audiendis se subiiciat, qui prius coram Superiore et aliquo ex nostris Patribus examinatus ad tantum ministerium idoneus non iudicetur. Superiorum autem maiores in concedenda suis subditis iurisdictione aut licentia ad audiendas sacramentales confessiones, praescripta Codicis Iuris Canonici fideliter servent.

529. In Confessariis praeter vitae integritatem, morum honestatem et doctrinam, firmam etiam aetatem requirimus, secretorum tenacitatem coniunctamque cum charitate prudentiam.

530. Nemo poenitentes sibi obstringat, pecunias vel munera ab iisdem nemo extorqueat, ne turpis lucri cupidum potius quam salutis animarum se appetentem

ostendat. Quisque accedentes ad se tam pauperes quam divites, tam ignobiles quam nobiles eadem benignitate auscultet; in poenitentiis iniungendis prudens sit et discretus.

531. Studeant nostri Confessarii habere in promptu Sanctorum Patrum exempla seu dicta et sacrae Scripturae locos, quibus possint afflictis, tentatis vel adversa valetudine laborantibus esse adiumento et solatio, atque ut artem hanc, quae ars artium est, pro dignitate exerceant, libellos, quibus salutaria remedia et instructiones Confessariorum continentur, assidue pervolvant: sed oratione in primis a Deo animarum Creatore et Curatore praecipuo lumen et opem impetrant.

532. In qualibet saltem formata domo, ad minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis vel de Sacra Scriptura; et omnes Clerici profissi, qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur.

Si solutio casum in domibus religiosis iustis de causis non habeatur, Religiosi tenentur se gerere ad normam iuris.

533. Confessariis libros de rebus ad christiani hominis officium spectantibus Superiores deesse non patientur et quam fieri poterit diligentissime current ne vel lectio vel casum discussio umquam intermittatur.

534. Vocati ad audiendas confessiones praesto sint.

535. Saecularium confessiones non in privatis Nostrorum cellis, sed vel in ecclesia vel in oratoriis aliisve locis ad hoc constitutis audiantur.

536. Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut

semipublico mulieribus destinato. Sedes confessionalis  
crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et  
confessarium sit instructa.

537. Feminarum confessiones extra sedem confes-  
sionalem et in privatis domibus ne audiantur, nisi ex  
causa infirmitatis.

538. Quod ad confessiones Monialium attinet, ac-  
curate serventur praescripta Iuris. Unius autem Supe-  
rioris maioris est commendare Religiosos sibi subditos,  
qui ab Ordinariis requirantur ad audiendas earumdem  
confessiones.

### CAPUT XIII.

#### DE PAROCHIS, DE VICARIIS ET DE COOPERATORIBUS.

539. Ad ea quae supra diximus de cura animarum  
exercenda, pauca addenda videntur de iis, quae spectant  
ad Religiosos curae animarum specialiter addictos, ne,  
dum iura nobis extranea exercentur, religiosa disciplina  
deferveat.

540. Ad paroecias nostro Ordini concreditas, Capi-  
tulum generale vel Definitorium vel Praepositus gene-  
ralis auditio Consiliariorum voto, Sacerdotem ipsius Or-  
dinis Ordinario loci praesentet, qui eidem institutionem  
concedit.

541. Parochi nostri viri sint religiosa gravitate et  
probitate conspicui, zelo salutis animarum ferventes  
et charitatis pietatisque operibus dediti, caeterisque  
virtutibus ac qualitatibus praediti, quae ad paroeciam  
cum laude gubernandam iure tum communi tum parti-  
culari requiruntur.

542. Religiosus, qui paroeciam regit sive titulo Pa-  
rochi sive titulo Vicarii, manet adstrictus ad observa-  
tionem votorum et Constitutionum, quatenus haec ob-  
servatio potest cum muneri sui officiis consistere.

Quare in iis, quae ad religiosam disciplinam atti-  
nent, subest Superiori, cuius proinde est in eius agendi  
rationem circa haec omnia inquirere eumque, si casus  
ferat, corrigere.

543. Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae,

cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; caetera acquirit ad instar aliorum Religiosorum.

544. Non obstante voto paupertatis, eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatae accipere aut colligere et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit religiosae communitatis.

545. Diebus dominicis caeterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque Parochi officium est consueta homilia, praesertim intra missam, in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustum causam ab Ordinario probatam.

546. Habeat Parochus libros paroeciales, idest librum Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, Defunctorum; etiam librum de statu animarum accurate confidere pro viribus curet; et omnes hos libros secundum usum ab Ecclesia probatum, vel a proprio Ordinario praescriptum, conscribat ac diligenter custodiat.

547. Doctrinae christianaee ministerium summo affectu Parochi complecentur et promovebunt, rudes pueros et puellas inter paroeciae fines commorantes rudimentis catholicae fidei curabunt imbuendos; eorumdem conatum et industriam alii, Superioris iussu, adiuvabunt.

548. Parochi aegrotos, maxime pauperes, frequenti visitatione recreabunt et ad Sacraenta suscipienda opportune disponent; et attente vigilent et diligentiam omnem adhibeant ne sine Sacramentis quisquam in paroecia decedat.

549. Parochi, ad nostrum Ordinem pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu: nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

550. Si parochus propter populi multitudinem aliasve iustas et graves causas nequeat, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere paroeciae, eidem alter vel plures Vicarii cooperatores assignabuntur.

Vicarios cooperatores Praepositus provincialis de consilio vel mandato Praepositi generalis, auditio Parochi, praesentat Ordinario loci, cuius est eosdem approbare.

551. Vicarii cooperatoris iura et obligationes ex statutis diocesanis, ex literis Ordinarii et ex ipsius Parochi commissione desumantur; sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet, ratione officii, Parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione missae pro populo.

Vicarius cooperator subest Parochi, qui eum paternete instruat, invigilet ac dirigat in cura animarum.

552. Vacante paroecia, ante Oeconomi constitutionem, paroeciae regimen assumat domus Superior, qui loci Ordinarium de paroeciae vacatione statim certiorum facere debet, et aliquem ex Nostris idoneum de mandato Superioris maioris proponere, qui ab eodem Ordinario constituatur quamprimum Vicarius oecono-

mus ad vacantem paroeciam tempore vacationis regendam.

553. Vicarius oeconomus iisdem iuribus gaudet iisdemque officiis adstringitur ac Parochus, in iis quae animarum curam spectant; nihil tamen ipsi agere in paroecia licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus Parochi aut beneficii paroecialis. Caeterum observantiae votorum et Constitutionum remanet subiectus, sicut supra n. 542 dictum est de ipso Parocho.

554. Oeconomus novo Parocho vel Oecono mo successori tradat clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum, quae ad paroeciam pertinent, et rationem reddat accepti et expensi tempore administrationis.

## CAPUT XIV.

### DE CONCIONATORIBUS ET LECTORIBUS.

555. Ministerium verbi divini tam in concionibus quam in sacris lectionibus enuntiandi, ut Christi fidelibus utilissimum, ita fideliter ac prudenter Nostris exercendum est, qui sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei in alterutrum, idest in proximorum utilitatem illam administrabunt: publice tamen ne concionetur aliquis, nisi facultatem concionandi ab Ordinario loci prius obtinuerit, nec sine licentia in scriptis concessa a Praeposito generali aut provinciali.

556. Nemo autem Ordinario praesentetur ad consequendam facultatem concionandi, qui indole, ingenio, fide, probitate et eloquio non excellat, quique curriculum studiorum tum philosophiae tum theologiae ad normam iuris prius non expleverit, feliciter superato insuper examine coram Patribus a Praeposito generali aut provinciali deputatis.

557. Si autem concio habenda sit tantum ad Religiosos nostros aliasque de quibus in can. 514, facultatem concionandi in Ordine dat Superior maior; qui in casu potest eam concedere etiam iis qui de clero saeculari a proprio Ordinario vel Superiore fuerint idonei iudicati.

558. Concionatores, antequam id muneris aggreditantur, fidei professionem emittant ad normam iuris;

quod quidem praestabunt et qui ad docendum deputabuntur.

559. Concionatoris munus cum sit vitia evellere, virtutes inserere, omnem conatum in hunc quasi scopum Nostri dirigant, ut in Christi fidelium animis odium peccatorum, amorem probitatis excitant et exemplo non minus quam verbo Evangelium praedicent.

560. Studio Sacrae Scripturae et sanctorum Patrum ita sint dediti Concionatores nostri, ut, quam aliis tradituri sunt, doctrinam ex ipso fonte cum labore hauriant et difficultia quaeque Scripturae loca, oblata opportunitate etiam ex tempore explanare possint.

561. Illustrioribus in ecclesiis qui concionati aliquando sunt, non dedignantur illud idem ministerium in oppidis, villis et ecclesiis, ad quas parvus sit hominum concursus, exercere; sed eo pergent alacriter, quo a Spiritu Sancto obedientia directrice mittentur.

562. Nostri praedicatores nihil publicent in suggestu, neque etiam indulgentias, nisi de licentia Superioris illius ecclesiae. Novae autem indulgentiae ecclesiis etiam nostris vel aliorum Regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci.

563. Magnum praebeant ubique probitatis et humilitatis exemplum et nullum umquam animi impatiens indicium: neminem dictis sive privatim, sive publice, multo minus actione qualicumque contra seipos et contra Religionem nostram irritando provocent; adversa omnia, etiam iniurias, aequissimo animo patientur et quidquid sive prospere, sive adversi eis acciderit, protinus ad Dei gloriam et laudem referant.

564. E multis, qui modum concionandi tradiderunt, hortamur, ut singuli Concionatores nostri familiarem unum aliquem habeant, atque eiusdem praeceptiones

conentur et memoriae commendare et suis in concionibus observare.

565. Verborum lenociniis, poëticis loquendi formulis, facetiis, stylo affectato, longiusculis rerum descriptionibus, incomposito gestu, immoderata vocis elatione, assentationibus, curiosis disputationibus, nimiis exaggerationibus, acrioribus reprehensionibus, memoriae et ingenii ostentatione atque iis omnibus, quae aliquam vanitatis seu levitatis speciem referunt, prorsus abstineant.

566. De Principibus, Magistratibus, Praelatis, Superioribus modeste omnino et honeste ubique loquuntur. Vitia generatim insectentur, neminem nominatim reprehendant; aliorum Ordinum Regulares commendent, et quoties nominare occurrerit, nominent reverenter.

567. Qui cibis quadragesimalibus iuxta Ecclesiae praescriptum in Quadragesima vesci non poterit, concionibus abstineat, nisi aliter Definitorio vel Praeposito generali, consideratis considerandis, visum fuerit.

568. Brevitatem in dicendo amplectantur, quaestiones si quas aliquando proponent, breviter etiam exponant et ad captum utilitatemque multitudinis accommodent omnia.

569. Extra proprias ecclesias, quatenus fieri possit, Concionatoribus socius a Praeposito generali vel provinciali assignetur, non eligatur ab ipsis, quamvis Superiores sint.

570. Illud simpliciter observent « *gratis accepistis, gratis date* »: quocirca nec pactionem aliquam inire pro concionibus nec eleemosynas querere Nostris liceat; sponte tamen a fidelibus oblatas, ut recipere possint, concedimus: eas vero, qui Superiores fuerint, libris rationum accepti et expensi fideliter adnotare faciant; et subditi, statim atque ad locum ipsis ab obedientia depu-

tatum redierint, suo consignabunt Superiori, cui etiam factarum expensarum et in itinere et in victu, si quae factae fuerint, rationem reddent.

571. Non liceat subditis eleemosynas pro concionibus acceptas in libros, vestes vel aliud quodcumque expendere, sed a proprio Superiore illa sibi provideri, quorum indiguerint, humiliter depositant.

572. Exemptiones Concionatorum et Lectorum hae sint. Quotidie concionaturi in Quadragesima per mensem integrum ante Cineralia et per dies quindecim proxime post Quadragesimam, si in nostris ecclesiis concionati fuerint; per mensem, si in remotis a loco suae residentiae, choro cum aliis interesse non teneantur, nisi diebus festis ad horas diurnas, ad missam solemnem et diebus singulis ad orationem mentalem.

573. Qui festis solum diebus concionem vel pomeridianis horis lectionem habere solent in ecclesia, et pridie ante concionem vel lectionem et postridie a nocturnis horis sint exempti. Extra triclinium comedere permittitur Concionatoribus, qui quadragesimali tempore quotidie concionantur, aliis non item.

574. Ad Moniales sine sui Superioris licentia nemo sermonem vel concionem habeat, et serventur in hac re quae iure praescribuntur.

575. Adolescentes studiis necdum completis, in triclinio discubentibus aliis, in concionibus frequenter exerceantur; habita concione, supplices in medium triclinii prodeant et corrigi de suis ipsorum erratis a Superiore humiliter postulent.

576. Qui dixerit et non fecerit, hoc est, qui probe dixerit concionando, sed probe non fecerit exequendo quae aliis praedicaverit, a Definitorio vel a Praeposito generali vel provinciali concionandi munere privetur et studio mortificationis interim exerceatur.

577. Concionandi provinciam etiam sponte oblatam a Praelatis vel a saecularibus viris nemo aggrediatur, nemo suam promittat operam, nisi licentiam a Praeposito generali vel provinciali prius obtinuerit, cuius est operarios in vineam Domini arbitrio suo mittere.

578. Si, concessa facultate vel licentia, loci Ordinarius vel respective Praepositus generalis aut provincialis compererint necessarias dotes in Concionatore desiderari, debent eam revocare; in dubio de doctrina debent certis argumentis dubitationem excutere novo etiam examine, si opus fuerit.

## CAPUT XV.

## DE CASTIGATIONE CORPORIS

## PER IEIUNIUM ET VERBERATIONEM ET DE VICTU.

579. Internis virtutum actionibus, humilitati, charitati, patientiae, motuum animi ac perturbationum moderationi, morum mutationi, in quibus religiosae vitae consistit perfectio, totis et viribus et animo incumbendum est a Nostris, in iisdemque ut proficiant, omni conatu contendendum: sed ne externae quidem virtutum exercitationes relinquenda; eae vero sunt ieunia, vigiliae, cilicia, verberationes, literarum studia et huiusmodi, quae, ut Cassianus ait, perfectionis instrumenta sunt; ut merito S. Ciprianus dixerit neminem virtutibus excelluisse vel singularia a Deo dona atque beneficia promeruisse, qui per haec castigandi corporis media non ascenderit. Praeter privatas igitur et voluntarias corporis afflictiones, quas cuilibet integrum erit assumere, sed cum Superioris vel proprii Confessarii obedientia, communes omnibus sequentes praecipimus.

580. Omnia ecclesiastica ieunia a Nostris omnibus inviolate et stricte observentur. Insuper ieunetur ab universis die praecedenti sollemnitiati S. Hieronymi Aemiliani, Fundatoris nostri (mense Iulio), necnon pridiē festi Sacr.mi Corporis Christi et sabbato praecedenti dominicae, qua incipiet Capitulum generale vel Definitorium generale.

581. Feria sexta cuiusque hebdomadae integrum erit cuilibet Religioso, de Superioris consensu, ieunium servare.

582. Ad verberationem corporis quod attinet, vehementer hortamur, ut quisque privatim, semel in hebdomada, se ipsum loris caedendo affligat iuxta consilium Confessarii et secundum rationem uniuscuiusque valetudinis.

Caeterum publicae mortificationes seu poenitentiae ne exerceantur, nisi de speciali Superioris et Confessarii licentia.

583. Ad carnis domandae et maceranda studium, proposita huius utilitate et necessitate, quo, ut Cassianus ait, extirpantur et marcescant vitia universa, subditos saepe Superior adhortetur; ipse suo iisdem praecitat exemplo.

In assignandis mortificationibus prudentia opus est et moderatione maxima, lumenque a Deo impetrandum. Fere tamen a levioribus incipiendum, honestati et sanitati consulendum et disponendus prius animus, quam medicina corpori adhibeatur.

584. Quod ad cibos attinet, iidem sint omnibus, non lauti, mundities in illis magna eniteat, sint bene cocti, bene etiam pro religiosa paupertate conditi. Singulare portiones ubique et quocumque tempore, etiam cum Praepositus generalis vel provincialis advenerit, distribuantur et cum aequalitate dividantur. Singularitas in omnibus, sed in victu et vestitu praesertim evitetur. Quamobrem praeter communes cibos nemo, tam in prima quam in secunda mensa, quidquam secum deferet vel deferendum curabit, quocumque illud sit, sine Superioris licentia. Volumus tamen haberi rationem aetatis, valetudinis, laborum cuiuscumque. Cum ieunatur, duplex apponatur obsonium omnibus. Extra

communem mensam nemo quidquam comedere, nemo bibere audeat sine Superioris obedientia. In bibendo nemo alteri propinet, nemo alteri quidquam comedendum in mensa porrigat.

585. Cum saecularibus, quamquam consanguineis, affinibus, poenitentibus vel aliis quibusque, comedendi facultatem non passim, nec sine iusta causa Superiores aliis faciant, nec sibi ipsis usurpent. Ad nuptiale convivium numquam Nostri accendent et ad illud accedendi licentiam Superiores concedere non possint.

586. Externi nostras ad mensas quam rarissime et, si fieri potest, numquam vocentur: vocati non saeculari, non aulico apparatu, sed religiosa simplicitate, maxima tamen munditie recipientur et tunc lectio non omittatur et Nostri ita se contineant intra religiosae modestiae ac decentiae limites, ut, qui nobiscum discubuerint, magnam concipient de nostra consuetudine opinionem et temperantiam commendent.

## CAPUT XVI.

### DE SILENTIO ET MODESTIA.

587. Cum ex divo Augustino a *religando* Religio dicta sit, lingua in primis cuique Religioso per silentium religanda est. Etenim vix religiosus est, qui linguam non refraenat, a qua, tamquam a fera indomita, plurima eaque gravissima incommoda proficiscuntur.

588. Omni igitur tempore Patres et Fratres nostri sint amantissimi observantissimique taciturnitatis, quam sancti Patres *cultum iustitiae, virtutum omnium parentem, custodem, nutricem* vocant; loquacitatis contra inimicissimi, ut quae mentem et a Deo et ab ipsomet, qui loquitur, disiungat atque ad vana ac nocitura divertat.

589. Praecipue vero observari silentium praecipimus in choro et in triclinio et quidem ita religiose, ut non solum verbis, sed ne signis quidem aut nutibus fas sit illud violare. Quamobrem neque post horas canonicas, neque post mentis orationem in choro, neque post refectionem in triclinio remanere colloquendi gratia cuiquam liceat; orandi vero causa in choro, serviendi in triclinio consistere liceat, sed cum obedientia.

590. Mane post communia exercitia unusquisque ad propria sive cubicula, sive officia cum silentio accedet.

591. In omnibus Religioni nostrae subiectis dominibus, signum vespertinum salutationis angelicae, nisi post illam statim ad coenam Nostri advocentur, silentii

signum erit. Post prandium et post coenam hora vel circiter elapsa, silentii signum detur; statim suum unusquisque cubiculum ingrediatur, alienumque interim introire, cuiuscumque illud sit, praeterquam Superioris vel rerum spiritualium Magistri, nefas sit; sed et mane, cum horae recitantur, nemo, qui in choro non intersit, alterius cubiculum intrare vel cum altero colloqui possit: et in eum, qui secus fecerit, severe animadvertiset Superior, cuius conscientiam hac in re serio oneramus.

592. Quoties unus cellam alterius ingredi voluerit, ianuam illius digitis pulset, clara voce dicat, « *Deo gratias* »; is vero, qui intus fuerit, respondeat, « *Semper* »; tum hostium aperiat, quod intus obserari nolumus, dum in cubiculo ille commorabitur.

593. Quadragesimali tempore et diebus, quibus vel ex Ecclesiae pracepto vel ex Constitutionum praescripto ieunatur, silentium severius servetur.

594. Silentii tempore nemo alterum convenire sine expressa Superioris licentia possit; Laici a pulsandis campanulis, a collocutione, ab omni strepitu abstineant, quantum necessitas officiorum, quibus deputati sunt, permiserit: nisi malint psalmos aut preces aliquas interim invicem recitare vel de vitis Sanctorum agere et colloquendo aliquid meditari.

595. Nocturno tempore ex propriis cubiculis, nisi necessitas urgeat, exire vel alio pergere quam quo necessitas impellit, nefas sit.

596. Post semihoram a vespertino silentii signo, pulsabitur denuo tintinnabulum et omnes statim lumina extinguent, ut somnum capiant, nisi qui a Superiori ob aliquam causam aliter faciendi facultatem impetraverit.

597. Superior tamen vel, eo impedito, Vicesuperior caute domum tunc temporis circumeat et silentii huius-

que Constitutionis violatores, si quos deprehenderit, ad aliorum exemplum puniat.

598. Si quis noctu in oratorium vel in ecclesiam ad orandum proficisci voluerit, id faciendi potestatem prius obtineat a Superiori.

599. Quod si silentium servandum multo magis murmurationes fugiendae, quibus et Dei et Religionis gloria minuitur, charitas scinditur et laeditur. Vigili ergo cura Superiores in id incumbent, ne vitium hoc, quod totam Religionem labefactare potest, inter Nostros serpat, numquam cum delinquentibus connivebunt, sed ex praescripto charitatis atque iustitiae cum iisdem agent, ut emendentur.

600. Collocutiones autem semper fiant submissa voce et inter Religiosos religiosae sint, nimirum de scripturis sacris, de custodia disciplinae, de rebus ad mores et ad conscientiam spectantibus, de virtutibus, de forma et facili ratione earumdem acquirendarum, de praeclaris aliorum dictis et factis, de literarum studiis, de concionibus et huiusmodi; modo nugae et inutiles narrationes fugiantur, « *quae inter saeculares nugae sunt*, ut ait S. Bernardus, *sed in ore sacerdotum et religiosorum hominum blasphemiae* ». Illud praeterea intelligent Nostri non multum referre, dum cum saecularibus colloquuntur, quam elegans sit religiosi hominis sermo, sed quam gravis, circumspectus atque utilis. Quamobrem omnes serio contendant, ut externos, praecipue saeculares, quibus cum versabuntur, arrepta prudenter occasione, ad pietatem et ad reliquas christiano homine dignas virtutes suis adhortationibus inflammet.

601. Aliorum dicta factave ne quis facile improbare assuescat, neque seipsum suaque commendare et efferre passim audiatur.

602. Circa modestiam, cum ea sit, quae actiones ho-

minis externas componit et motibus eius honestum quemdam tribuit decorem, conabuntur omnes ita se gerere, ut vitae genus, quod profitentur, regula quaedam et professio modestiae esse cognoscatur. Est enim externa modestia index compositionis internae. Quocirca ita se corpore componere studebunt, ut capite et vultu honesti, oculis verecundi, incessu graves videantur: voce moderata utentur: nec incomposite amicti, nec nimis culti incident: omnes, praesertim Seniores et Superiores, reverenter alloquentur: gestus orationis comes sit gravis et comptus, ut inde externi maximam in animo interius esse compositionem coniiciant.

603. Modestiae vero comites perpetuae sint benignitas et humilitas; ita ut et eamdem vultus et animi semper praeferre compositionem adnitantur; modestiam enim laus, benevolentia et bona existimatio consequitur: immodestiam e contra aversio, depresso et contemptus.

## CAPUT XVII.

### DE CAPITULO COLLEGIALI CONGREGANDO ET CULPIS DICENDIS.

604. Charitatis praecipuum opus est errantes corrigere et eosdem per humilitatis gradus ad perfectionis fastigium promovere. Propterea semel saltem in mense Capitulum collegiale Superioris iussu aut, eo impedito seu absente, Vicesuperioris, campanula convocabitur; et nisi altare erectum sit in loco Capituli, mensa ibidem paretur, in qua Iesu Christi cruci affixi effigies collocetur, cadiscus, liber Constitutionum et actorum Capituli collegialis ac tintinnabulum reponatur. Omnibus consueto in loco congregatis, Superior aut Vicesuperior signum dabit flectendi genua et orandi. Precum autem formula erit eiusmodi:

*Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium  
et tui amoris in eis ignem accende.*

*Kyrie eleison.*

*Christe eleison.*

*Kyrie eleison.*

*Pater noster, Credo, (clara voce).*

*V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.*

*R. Et renovabis faciem terrae.*

*V. Domine exaudi orationem meam.*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*V. Dominus vobiscum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis  
mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos*

*et super Congregationes illis commissas Spiritum gratiae salutaris et, ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

*Mentes nostras, quae sumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus.*

*Defende, quae sumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis.*

*Deus largitor pacis et amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus, quae nos pulsant, temptationibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

Addatur oratio B. M. V. Matris orphanorum, necnon oratio S. Patris nostri Hieronymi et Titularis seu Patroni ecclesiae.

605. Finita oratione, surget Superior et sedebit, quod idem facient subditi omnes profecti, alii stabunt: statimque brevem proponet Superior adhortationem temporis et occasioni accommodatam: cum dicendi finem fecerit, tum singuli prodeuentes in medium Capituli et genibus flexis proprias culpas externas humiliter, sed clara voce fatebuntur; primi omnium Postulantes, si qui habeantur in domo, tum Novitii, exinde Laici profecti, mox Clerici, ultimo loco Sacerdotes ex ordine professionis, ita ut minores praeeant ali sequantur.

606. Nostri Religiosi advenae post integrum mensem commorationis in loco idem praestabunt ordine professionis.

607. Laici et Clerici antequam suas culpas appetiant, terram exosculabuntur; Sacerdotes manum, qua-

prius terram tetigerint, ori admovebunt, tum inclinato capite dicent: *Deo gratias, respondebitque Superior: Semper, et statim subditus initium propriae accusationis in Domino faciet.*

608. Accusatione absoluta, correptionem unusquisque libenter audiet et poenitentias sive mortificationes, quas illi iniungere voluerit Superior, grato hilariquo animo excipiet; inde facto recedendi signo, Clerici et Laici denuo terram ore, Sacerdotes manu osculabuntur et cum summa animi demissione ad propria loca revertentur.

609. Nemo ex subditis, quacumque dignitate prae fulgeat, a culpa dicenda sit immunis, sed non profecti egrediantur e Capitulo, cum profecti se ipsos accusabunt. In triclinio autem, ubi publicae poenitentiae publicis erratis iniunguntur, cum profecti culpam dicent, non profecti interesse poterunt: hoc enim ad exemplum iisdem conferet.

610. In Capitulo dum aliquis a Superiore corripitur, excusationem afferre non possit, nisi petita prius benedictione et facta a Superiore potestate, qua etiam parce, modeste humiliterque utetur.

611. Si quis irreverenter vel immodeste se gesserit vel imposito illi silentio non statim obedierit, dimittatur e Capitulo et graviter puniatur.

612. Superior coram subditis, praeterquam in adventu Praepositi generalis seu provincialis, culpas suas non accusabit; Patres tamen rogabit, ut ex charitate suos illi defectus aut excessus privatum in cella significant vel ex Senioribus aliquem ad se admonendum mittant, se id aequissimo animo laturum, gratias omnibus habiturum maximas et emendationem pro viribus, adiuvante Domino, in se ipso curaturum.

613. Culpis absolutis, iterum ad Capitulum vocan-

tur qui exierant durante accusatione professorum, ut adstant ad preces finales. Deinde Superior omnes dimittet: sed si quidpiam magni momenti in utilitatem domus aut collegii p[re]e manibus habeat, apud se retinebit eos Religiosos, qui suffragium in Capitulo ferre possunt: omni re exposita calculisque proposita, illud efficiet, quod maiorem partem votorum velle compelerit.

614. Ius suffragii in Capitulo collegiali nemo habebit, nisi sit Sacerdos professus a votis sollemnibus atque integrum curriculum studiorum iam compleverit. Si vero aliquis religiosus Sacerdos, sollemniter vel perpetuo professus, ad nos transierit, is post emissam apud nos sollemnem professionem per triennium in Capitulo collegiali neutram vocem habiturum se sciat.

615. Praeter hanc convocationem Capituli collegialis ad primarium finem humilitatis exercendae, alia etiam habeatur quintodecimo quoque die, cui intererunt ii omnes quibus est ius suffragii, ut possint diligentius perpendere et excutere quaecumque negotia tum quoad religiosae familiae disciplinam et spiritualem profectum, tum quoad tutam et vigilantem administrationem spectantia, tum demum ad omnes res alicuius momenti, quibus providendum sit a Capitulo collegiali iuxta nostrarum Constitutionum praescripta.

Utraque convocatio eisdem precibus incipitur et concluditur.

616. In collegiali Capitulo, de quo sub nn. 613 et 614, Superior ex charitate et in Domino requiri[et] a subditis quibus competit ius suffragii eosque rogabit, num pro Dei cultu augendo, pro bono Ordinis nomine conservando, pro bono item domus regimine aliquid admonendum iisdem in mentem veniat, an alicui sit occurrentum scandalo, an necessaria cuiquam desint,

an omnia, quae ad victum et vestitum pertinent, sint aequalitate distributa; et liceat omnibus hoc tempore et loco animi sensum aperire, ita tamen libere ut a dicendi libertate charitas, modestia, humilitas, reverentia numquam divellantur et voluntati prudentiaeque Superioris propriam unusquisque voluntatem et sensum statim subiiciat.

617. Quae in Capitulo dicta vel gesta fuerint, extra Capitulum referri omnino prohibemus, maxime si charitatem minuere poterunt: Capitulo et voce privetur, qui secus fecerit aliisque poenis iudicio Superioris et Seniorum mulctetur.

618. Absoluto Capitulo, pulsabit Superior tintinnabulum omnesque procubent in genua et orabunt ut infra:

*Kyrie eleison.*

*Christe eleison.*

*Kyrie eleison.*

*Pater noster, Salve Regina, (clara voce).*

*V. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

*R. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

*V. Domine exaudi orationem meam.*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*V. Dominus vobiscum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Praesta nobis, quaesumus, Domine, auxilium gratiae tuae ut, quare te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus.*

*Per Christum Dominum nostrum.*

*R. Amen.*

*Oremus. Protector noster aspice Deus et ab inimicorum nos defende periculis, ut, omni perturbatione semota, liberis tibi mentibus serviamus.*

*Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in*

*hunc mundum, illumina, quae sumus, corda nostra gratiae tuae splendore, ut digne maiestati tuae ministrare teque in aeterna charitate diligere valeamus.*

*Per Christum Dominum nostrum.*

*R. Amen.*

*Retribuere dignare, Domine, benefactoribus nostris vivis atque defunctis vitam aeternam.*

*R. Amen.*

619. Tum Superior conversus ad Patres eorum consalutationem excipiet, omnes cum silentio et pace recedent et ipse ultimus omnium.

FINIS LIBRI SECUNDI.

## LIBER TERTIUS

### CAPUT I.

#### QUALES ESSE DEBEANT SUPERIORES NOSTRI ET DE ILLORUM MUNERE AC FACULTATE.

620. Superiores nostri tam Praepositi, quam Rectores per vota secreta, ut Lib. I. cap. XVII, n. 274 et seqq., de Definitorio dictum est, a Definitorii Patribus elegentur.

621. Superiores omnes, postquam nominati vel electi fuerunt, tenentur coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato emittere professionem fidei secundum formulam a Sede Apostolica probatam. Eamdem professionem faciendam curabit Superior a Concionatoribus, Confessariis, Professoribus, Lectoribus et Magistris nostris. Qui, priore dismiso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam iuris.

622. Habeat Superior formatae domus saltem duos Consiliarios, quos Seniores vocamus, quorum consensum aut consilium exquirat ad normam sacrorum cano-

num, in omnibus quae spectant ad rectam gubernationem religiosae familiae in administratione, charitate et concordia servanda et in omnibus in quibus passim nostrae Constitutiones praescribunt consultationes Seniorum.

623. Si adsint Vocales Capituli generalis hi erunt Consiliarii Superioris localis seu Seniores nati; sin autem deligantur a Praeposito provinciali, accidente confirmatione Praepositi generalis, Consiliarii constituantur ad triennium, sicut ipsi Superiores locales; sed in suo officio confirmari possunt.

624. Electus Superior primo loco sibi proponat, ut vitae viam subditis bene vivendo magis quam bene dicendo vel docendo indicet; atque enitatur, ut in se ipso ita expressum videant exemplar regularis disciplinae, ut quod in aliis reprehenderit vitium, retorquere in ipsum subditi non possint.

625. Pro certo exinde habeat optimam rectae gubernationis regulam esse Constitutiones et Decreta, quae a Capitulo generali, a Definitorio, a Praeposito generali pro rerum occasione sanciuntur: quae quo diligentius studiosiusque curabit, ut observentur, eo laudabilius erit gubernatio et Deo ipsi acceptior. Praeterea omnis Superior tenetur notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis, quae Religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.

626. Elapso triduo postquam Superior ad proprium locum pervenerit, vel si ibidem degere illum contigerit, postquam de iniuncto sibi munere factus fuerit certior (quo triduo dabit operam, ut statum domus plenissime cognoscat), subditos omnes solito signo convocabat in Capitulum, literas, quas patentes vocant, suaee electionis testes publice per Cancellarium legi iubebit et Capituli generalis vel Definitorii decreta, si quae sancita fuerint, recitari: ipse vero omnes ad orationis assidui-

tatem, ad studium perfectionis, ad praelucidum exemplo saecularibus et ad reliqua virtutum ornamenta, quae propria sunt religiosi hominis, adhortabitur. Tum inventaria sacrarii, bibliothecae et supellectilium omnium, quae tam in publicis officinis, quam in privatis cubiculis asservantur, vel a praedecessore, si aderit, vel, si aberit, a Vicesuperiore recipiet et quam primum cum rebus ipsis conferenda curabit. Quod si inventaria desiderentur vel res inventariis notatae, quae aut magni pretii sint aut magna in quantitate non reperiantur, hac de re, quae gravissima censenda est, Praepositum generalem vel provincialem et hic deinde Praepositum generalem illico certiorem reddet et novos statim rerum indices per Vicesuperiorem et duos ex Senioribus confici iubebit, quibus cum iisdem anno, mense et praenotato die se subscribet.

627. Libellum etiam continentem obligationes missarum, anniversariorum et precum, quae illi ecclesiae incumbunt, onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynas assignatas ad se deferri praecipiet et simul cum praedictis rerum inventariis suo in cubiculo custodiet.

628. Nomina singulorum ex sua familia evulgabit et suum cuique ministerium ac munus assignabit, neque deinceps permettit, ut unus in alterius officium sine licentia se ingerat.

629. Praepositi generalis statuta, si quae ille ediderit, promulgari et libro actorum Capituli collegialis, ut reliqua etiam pro bono domus regimine a se disposita, adnotari praecipiet.

630. Confessarios debita facultate praeditos (cfr. supra n. 149), qui confessiones Nostrorum auscultent, designabit; atque subditis interdum confessarium unum aut plures extraordinarios concedet, qui intra tempus

praefigendum singulorum confessiones audire possint pro ipsorum conscientiae tranquillitate.

631. Novitatem aliquam non inducit, inductas vero consuetudines nec violabit ipse, nec violari permittet ab aliis: sed, si quid videbitur iustas ob causas innovandum, cum maiori parte votorum sui Capituli id decernet, vel Praepositum generalem consulat et illud efficiet, quod ipse faciendum rescribet.

632. Superioris munus erit invigilare omni solitudine, ut divinus cultus augeatur; ut Constitutiones nostrae et Decreta, sed tria potissimum vota inviolate ab omnibus observentur; ut sua singuli munera naverter exequantur; ut concordia in subditorum animis, eadem ratio in moribus, in victu et vestitu, amor in Ordinem, reverentia in Superiores et in Seniores diligentissime conserventur; ut, si quid rixarum inter subditos excitatum fuerit, debita cum satisfactione protinus tollatur; ut malis et scandalis, quae domi vel foris sive imminere sive contingere posse cognoverit, prudenter occurrat et, si quae iam evenerint, opportuno remedio sanet; ut nihil relinquat intentatum, quo subditum tentatum atque adeo deficientem, desidiosum, titubantem excitet, adiuvet, confirmet. Quamobrem eniti debet, ut singulorum ingenia, propensiones, animi morbos agnoscat et ex sanctorum Patrum et magistrorum spiritualis vitae libris tamquam ex officinis studebit opportuna depromere et habere in promptu remedia, quibus aegrotantium subditorum animos facile curet.

633. Curent Superiores locales, ut saltem bis in mense christianaee catechesis habeatur instructio pro conversis et familiaribus, audentium conditioni accommodata.

634. Curent insuper Superiores ut omnes Religiosi

quotannis spiritualibus exercitiis vacent et ab omni alia cura seiuncti per dies octo seipsos toto animo colligant et spirituali profectui enixe incumbant.

635. Superioris munus erit Clericos quamquam sacris initiatos octavo quoque die accersere et quid in spiritualibus profecerint ab unoquoque illorum cognoscere; ad culpas dicendas et ad alia pro rerum occasione peragenda Capitulum congregare; communes officinas interdum adire et explorare, num ministri suo satisfaciant officio; investigare, num intra vel extra cubicula aliquid fiat, quod fieri dedebeat; claves reliquiarum perpetuo, ecclesiae vero et domus nocturno tempore apud se custodire et, postquam Aedituus ac Ianitor claves ad ipsum detulerint, ex improviso saepius inspicere, num revera fores occlusae clavibus fuerint; libros omnes, qui aliquid lascivum continent, de medio tollere.

636. Superior Clericorum professorum — qui, ut in bono spiritu regularisque disciplinae observantia melius constabiliantur, in secundo novitiatu seu professorio educantur — in eam curam serio incumbet, ut praeter communes omnibus Constitutiones, suae ipsorum peculiares inviolate ab illis observentur, praecipue ut vitae spiritualis Magistro prompte obdiant; ut quoties missae inserviunt, terram exosculentur statim post elevationem tam Hostiae quam Calicis magna cum humilitate Iesum Christum adorantes; ut cum prodeunt in aliorum conspectum, oculos demittant, caput pectus versus aliquantulum inclinent, non inflectant ad dexteram neque ad sinistram; ut iunctis ante pectus manibus e choro in ecclesiam exeant et intersint rei sacrae; ut cum verrunt ecclesiae pavimentum, cum altaria vestiunt et ornant vel suis exuunt ornamentis, silentium non violent; ut latine inter se statis diebus ubique lo-

quantur; ut omnes simul cum proprio Magistro vel cum illius Vicesgerente domo egrediantur; ut ab antiquorum professorum, quicumque illi sint, consuetudine et colloquio prorsus abstineant; ut habitatione ab iisdem segregata utantur; ut in externis actionibus modestiam cum humilitate, hilaritatem cum gravitate, munditiam cum religiosa decentia, incessum, gestum et motum cum decore coniungant; ut sine obedientia nihil omnino attentent aut efficiant, nihil cuiquam dent aut a quo quam, ne ex Nostris quidem, accipiant mutuo et multo minus dono vel alio quovis titulo; ut neminem ex saecularibus alloquantur, nisi praesente Superiore et Magistro vel Magistri socio; ut politioribus literis quam maxime delectentur; ut studiose in seipsis corrigant maternas voces et pronuntiandi modum, cum barbariem aliquam redolere videbuntur; ut in subigenda propria voluntate et in moderando intellectu atque iudicio, assidue et ex industria exerceantur; ut, dum a Superiore vel a Praeceptore corripiuntur, statim genua flectant, respondere non ausint, neque assurgere, nisi deosculata prius terra et obtenta benedictione.

637. Debet praeterea Superior paterna charitate et benevolentia subditos omnes sic amplecti, ut amari se potius quam timeri velle demonstret, ea tamen moderatione, ut amans timeri debeat et iratus amari; atque ideo cavebit, ne nimia cum subditis familiaritas ipsum reddat contemptibilem, nec immoderata gravitas odiosum.

638. Accedentes ad se subditos, ut tentationes, inspirationes, animi sensa atque etiam morbos aperiant, benigne libenterque audiat, consolari conetur, invitet ut confidenter veniant et, quantum Deus permiserit, placida quiete et spirituali consolatione recreatos a se dimittat.

639. Partium studium ita declinabit, ut virtuti

tamen, humilitati, doctrinae, laboribus ac meritis plurimum tribuat, elatos vero animos viriliter in Domino reprimere non praetermittat.

640. Aegrotantibus ut nihil desit, vigilantissima charitate studebit. Omnim necessitatibus tam animae quam corporis, subditis etiam non efflagitantibus, magna charitate et solicitudine prospiciet. Publicas adhortationes in triclinio vel in Capitulo frequenter habebit. Frequentius tamen privatis colloquiis magna significazione charitatis subditos consolabitur et ad studium perfectionis inflammabit. Libros spirituales et alios iuxta singulorum indigentiam, professionem et intelligentiam omnibus subministrabit. Choro et triclinio atque etiam primae mensae, nisi graviter sit impeditus, semper intererit.

641. Libellum habebit, in quem ea omnia referet, quae sibi ad Dei cultum augendum et ad bonum domus regimen subinde occurrerint, ut illa Praeposito generali seu provinciali, suis etiam Senioribus communicet.

642. Invigilabit, ut Parochi et Viceparochi opportune religiosaque charitate Sacraenta Confessionis, Eucharistiae, Extremae Unctionis infirmis administrant. Alios etiam confessarios pro rei occasione ad audiendas confessiones pauperum et eorum, qui in carceribus detinentur aut maioribus poenis sunt obnoxii, libenter mittet, et qui mittentur, hoc pietatis opus cum hilaritate amplectantur.

643. Negotium curamve nullam suscipiet, quae ita illum occupet, ut munus suum recte exequi non possit. Cum aliis, qui propriis in ministeriis negligentiores aut sordidiores fuerint, poenarum remedio utatur, prout aequitas et ratio dictaverit.

644. Insignes locorum nostrorum benefactores non modo superstites, sed etiam vita functos, publice nomina-

timque aliquando commendabit, ut et illorum memoria apud Nostros sit diurna et temporalia beneficia beneficiis spiritualibus, precibus nimurum et sacrificiis compensentur.

645. Reliquis collegiis et nostrae Religionis dominibus ex intimo charitatis affectu studiose faveat et eorum necessitatibus, quantum cum Praepositi generalis et sui Capituli collegialis consensu poterit, subveniat.

646. Ad Superiorem etiam spectabit, omnium sanitati consulendo, prohibere quaecumque infirmare illam posse animadverterit et providere quae cognoverit confirmare eamdem posse; singulis saltem hebdomadis et quoties opus fuerit, de rebus ad gubernationem attinentibus, ne quid faciat ex proprio sensu, cum Senioribus agere, qui deinceps a Definitorio vel a Praeposito generali nominabuntur, et cum eorum consilio punire subditorum gravia errata, quibus in nostris Constitutionibus peculiares poenae statutae non sunt.

647. Caveat tamen, ne subdito provinciam nimis onerosam aut viribus illius imparem, seu etiam verbis asperioribus iniungat; ne nimio rigore, perpetua se veritate contractoque supercilie imperet, sed ex amore nascatur imperium et cum amore illi pareatur. Omnem suspicionem malevolentiae a se ipso, quantum poterit, amoveat et fugiat contentiones, verba et multo magis iniuriosa verbera.

648. Praeposito generali, provinciali et Visitatori bus eamdem praestet obedientiam, quam a suis subditis sibi desiderat exhiberi.

649. Archivum optime constructum et clavibus bene munitum in sua vel aliena, sed tutissima cella, quisque Superior habeat; in eo rescripta et documenta pontificia, libri distincte atque ordine continentes bonorum omnium domus et ecclesiae, redditum, iurium et obliga-

tionum tam spiritualium quam temporalium inventaria et nomina debitorum et creditorum asserventur; præterea instrumenta omnia authentica, scripturae, syngraphae atque huiusmodi alia, quae numquam, nisi magna necessitas tulerit, inde extrahantur et, si quando fuerint extracta, pagella in ipso archivo affigatur, quae cuinam et quando tradita sint, demonstret; propriis locis, statim ac fuerint reddita, reponantur; exemplaria seu illorum nota sint apud Oeconomum domus; claves apud Superiorem.

650. Libros accepti et expensi Superior in suo cubiculo fideliter custodiat, sicut et capsam pecuniarum duabus diversis clavibus obserandam, quarum una apud ipsum, altera apud Oeconomum domus asservetur, addita etiam tertia, si ita Praeposito generali expedire videbitur. Quoad capsam pecuniarum, in qua non familiae, sed Provinciae vel Ordinis bona asservantur, custodienda est iuxta praescripta a Definitorio generali statuenda.

651. Item ubi eleemosynae missarum recipi solent, peculiarem habeat librum in quo accurate notet missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem.

652. Rationes accepti et expensi singulis mensibus a Superiore recognoscantur, convocatis ad id Vicesuperiore, Oecono mo domus et uno Seniorum, subductisque rationibus, ab iisdem subscribantur.

653. Nullum pecuniae aut rerum quarumcumque depositum, in ea notabili quantitate quae a Definitorio statuta fuerit, accipiat Superior a saecularibus vel retineat vel retineri a subditis permittat vel accipi sine Seniorum consensu scriptis expresso. Poterit cum Seniorum consensu mutuo credere amicis petentibus aliquam summam ut supra statutam; sed ultra dictam

requiritur votum Capituli collegialis, quo sine, si Superiores aere alieno domos oppresserint, deponantur ab officio et aliis poenis afficiantur arbitrio Praepositi generalis vel provincialis.

654. Licebit Superiori ministros omnes, Vicesuperiore, Parocho, Oecono et Cancellario exceptis, pro suo arbitrio eligere et mutare; cum autem experientia compertum sit, frequentes ministrorum mutationes plerumque cum detimento domus fieri, ad illas non deviniet, nisi necessitate aliqua compulsus; mortificatiibus subditos exercere, prudenter tamen ac moderate, ut suorum animi in spirituali pugna roborentur, non frangantur; alia denique omnia peragere, quae vi iuris communis, nostrarum Constitutionum et quomodocunque legitime illi competunt, nisi aliud Praepositus generalis vel Patres Definitorii pro sua prudentia cum aliquo statuerint.

655. Cum nostri Superiores pro domorum varietate non eodem titulo seu nomine nuncupentur, praesenti Constitutione declaramus eos, qui nostris praesunt Collegiis, in quibus quatuor ad minimum Sacerdotes cum Superiore inclusive commorari solent, « Praepositi »; qui academias, seminaria, loca Orphanorum et domos moderantur, in quibus pueri educantur, dicendos esse « Rectores ».

Praepositorum Vicesuperiores « Vicepraepositi » et qui Rectorum vices gerunt « Vicerectores » appellantur.

656. Saeculares hospitii gratia in nostris domibus non facile recipientur, quamvis de Ordine optime sint meriti vel dignitate et opibus insignes: recepti vero ultra triduum non commorentur, nisi cum licentia Praepositi generalis vel provincialis vel Capituli collegialis,

et cum iis sine facultate Superioris nemo familiariter conversetur.

657. Hospites inserviendi gratia admitti poterunt a Superioribus, sed cum Seniorum consilio; qui tamen ab aliqua ex nostris domibus electi fuerint, recipi non possint in aliam, nisi cum Praepositi generalis vel provincialis licentia.

658. Si ad Capitulum generale seu Definitorium profecturus erit Praepositus vel Rector, ante discessum convocatis subditis, quid cuique opus sit, diligenter videat et provideat; ne, ubi discesserit, illius Vicesuperrens infestetur, cui praesenti Constitutione inhibemus expensam aliquam praeter ordinariam quotidiani victus facere, quae praevideri potuerit ante Superioris absentiam, vel ad quam maxima necessitate iudicio Seniorum non impellatur.

659. A propria residentia Superiores nonnisi rarissime absint et, si Vocales non fuerint, tempore Capituli seu Definitorii a propriis domibus discedere vel subditos eo tempore alio proficisci permettere, culpa sit gravis, arbitrio Praepositi generalis vel Definitorii punienda.

660. Praepositi et Rectores in libro actorum Capituli collegialis adnotari curabunt, quicquid notatum dignum in suis ipsorum domibus acciderit, ut ecclesiae vel altarium consecrationes: quo quisque die Religionis habitum suscepit, vota emiserit, ordines suscepit, ex hac vita abierit, quae pietatis signa moriens dederit, quae verba exhortationis adstantibus dixerit, quantum humilitati, orationi, obedientiae, silentio vivens detulerit; et si quid magni momenti illi domui vel ecclesiae dono datum vel testamento legatum fuerit: si quae gratiae vel miracula, votis nuncupatis, Deo vel beatae Virgini vel sancto Patri nostro Hieronymo, sive alicui

imagini, quae apud nos extet, a viris vel mulieribus fide dignis referantur; eadem statim curabunt authentica fieri; denique praecipuorum benefactorum nomina et similia.

661. Liber autem huiusmodi in cubiculo Superioris fideliter asservetur, sed quaecumque adnotata fuerint describantur iussu Superioris a Cancellario Capituli collegialis; et a Superiore, Vicesuperiore, ab eodemque Cancellario subscripta ad Definitorium mittantur et relationes huiusmodi in publico Religionis tabulario perpetuo custodiantur.

662. Dabunt operam Praepositi et Rectores, ut pro maiori Dei gloria et proximorum salute in nostris collegiis et domibus oratoria ad saeculares spiritualibus exercitiis instruendos instituant et, ubi iam instituta sunt, omni studio augere, eorumque pia opera promovere conabuntur, quo hac etiam in re sancti Patris nostri Hieronymi charitatem, serendaeque in aliis pietatis ardorem imitemur.

663. Praeterea hortamur, ut in locis, ubi possibile est, sive per se sive per alios religionis superioris cursus instituendos curent, in quibus efformentur iuvenes intelligentia et bonis moribus praediti, qui designari postea possint ad pueros et opifices erudiendos in christiana catechesi necnon in sacra et ecclesiastica historia.

## CAPUT II.

### DE VICEPRAEPOSITIS, VICERECTORIBUS ET CANCELLARIO.

664. Unusquisque Superior suum habeat Vicesuperiorem ubi plures Sacerdotes commorabuntur. Hic autem vel a Definitorii Patribus vel a Capitulo collegiali secretis suffragiis eligetur.

665. Si quis ex Vocalibus Capituli generalis sit a Definitorio alicubi designatus, qui communes observantias obire possit, ille, ni secus a Definitorio decretum fuerit, Vicepraepositus sit absque ulla alia electione; quod si ibidem plures essent Vocales, professione antiquior id habeat muneris, quo nolente vel cessante, suffectus intelligatur alias, ordine professionis servato. Idem statuimus, si aliquem discedere contingat, quem Definitorium vel Capitulum collegiale elegerat, huic enim immediate succedet Vocalis, qui ibi tunc deget.

666. Vicepraepositi seu Vicerectoris auctoritas ea legitime erit, quae a Praeposito vel Rectore ipsi communicabitur. Eorum munus et officium erit, absente praesertim Superiore, illius vices agere; spirituale et temporale regimen interim exercere, numquam tamen a Superioris voluntate recedendo, nisi in repentina aliquo casu aliter faciendum prudentia et Seniorum consilium suaserit; sed statim et distincte de causis factae deliberationis docendus erit Superior; cavebunt autem, ne tunc temporis quidquam innovent aut ab aliis innoveri permittant; suam omnem curam atque industriam

in eo praecipue collocabunt, ut Constitutiones nostrae, statuta et decreta exactius, si fieri poterit, quam praesente Superior, observentur.

667. Dum Praepositus sive Rector aderit, Vicepraepositi seu Vicerectores curabunt, ut ecclesia, chorus, sacrarium, claustra, loca omnia munda sint et nitida; tamquam manus et brachia sint Superioris, quae eum et iuvent in gubernatione et protegant a detrahentium labiis, si quos aliquando esse ad humilitatis et patientiae exercitium Dominus permiserit; communes officinas quotidie visitent et observent, num ministrorum aliquis suam sinat operam, diligentiam et charitatem desiderari; num cibi tempestive domum comportentur et sani comparentur; num bene coquantur, condiantur et cum aequalitate distribuantur. Praeceptorum et studentium praecipuam curam gerant, ut nihil iis desit ex necessariis, ut vestes et quaecumque lacera esse viderint, resarcienda statim curent et paternam cum iis solitudinem potissimum exerceant, quos de se ipsis vix cogitare animadverterint. Charitate in infirmos utantur maxima et charitate etiam ministros deficientes moneant, errantes corripiant, de omnibus tamen certiorem reddant Praepositum seu Rectorem, maxime si imminentि alicui malo occurrentum sit, vel iam sequuto succurrentum.

668. Nisi Definitorium vel Praepositus generalis vel Superior ipse alium designent, ad Vicepraepositem aut Vicerectorem tamquam ad Magistrum rerum spiritualium subditi confugient, ut internas cogitationes et tentationes fidenter iisdem aperiant; quos illi permanter auscultabunt et pro uniuscuiusque necessitate remedia proponent, quae vel ipsimet experti in seipsis fuerint vel ex oratione aut lectione librorum spirituum hauserint.

669. Partes etiam Vicesuperioris erunt exemplo reliquis esse taciturnitatis, modestiae, disciplinae et maximae tum reverentiae tum obedientiae erga Superiorum; maximae item promptitudinis ad chorū et ad orationem; Laicos singulis diebus festis ea, quae spectant ad salutem animae, ad Constitutionum observationem edocere atque consolari quandcumque moestos, afflitos esse cognoverit.

670. Si Superiorum aliqua in re errare vel in Constitutionum observatione, aut in seipso aut erga alios languidum et remissum esse viderit; si subditos de aliquo illius errato conqueri audierit, praemissis ad Deum precibus, reverenter eum conveniet et monebit, petita prius ab eodem libere loquendi licentia: si audire recusaverit vel post unam et alteram admonitionem non se correxerit, Praeposito generali aut Provinciali scripto referet omnia. Caeterum ut officio et cura, ita animo, consilio et spiritu studebit esse cum Superiorē coniunctissimus.

671. Cancellarius etiam a Capitulo collegiali nominandus erit, qui Capituli collegialis acta et Capituli generalis vel Definitorii decreta, Praepositi item generalis, provincialis et Visitatoris ordinationes in libro, cui titulus erit, « *Acta Capituli collegialis* », fideliter et claris, distinctis intelligibilibusque characteribus describet et subscribi a Superiorē faciet.

672. Durabit is ad arbitrium collegialis Capituli, et eorum omnium, quae libro adnotata sunt, curabit indicem conficere et memoriae imprimere et liber sit penes Superiorē.

## CAPUT III.

## DE OECONOMIS ET DE ADMINISTRATIONE.

673. Sint pro administratione bonorum temporaliū Oeconomi: generalis, qui religionis universae bona administret: provincialis, qui provinciae: localis, qui singularum domorum; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris.

674. Oeconomus generalis constituitur a Praeposito generali de consensu Consilii sui; Oeconomus provincialis a Praeposito provinciali, item de consensu respectivi sui Consilii; Oeconomus tandem localis a Praeposito provinciali, auditio Capitulo collegiali domus.

675. Oeconomus generalis et provincialis consti-tuuntur ad triennium; sed in officio confirmari possunt, ut supra, a Praeposito generali aut provinciali; Oeconomus autem localis nominatur ad annum, sed et ipse in officio confirmari potest a Praeposito provinciali, auditio Capitulo collegiali domus.

676. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest: munus vero Oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat, ad arbitrium Praepositi provincialis.

677. Oeconomus sit vir in negotiis tractandis versatus, fidelis, prudens, humilis tamen et patiens, qui suo agendi modo saeculares aedificet et benevolos sibi Religionique faciat.

678. Oeconomus res temporales geret sub directione respectivi Superioris; numquam ei liceat summam pecuniae acceptam apud se retinere, sed integrum Superiori tradat in communi capsā conservandam.

679. Impensas tantummodo ordinarias agit et pecuniam administrat ea mensura, quae a respectivo Capitulo vel a Superiore illi indicetur; provisiones autem quae praefixum impensis ordinariis terminum superant, nonnisi de consilio aut de consensu Superioris vel Capituli aggrediatur ad normam iuris canonici et Constitutionum.

680. Bona tum Religionis, tum Provinciae domusque administrentur ad normam iuris canonici et Constitutionum, cum dependentia a respectivo Superiore et a respectivo Capitulo.

681. Prorsus caveant omnes Superiores et Oeconomi, ne Provincias vel domos in debita onerosa vel in obligationes oeconomicas quomodocumque inducant aut induci permittant.

682. Firma praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis, quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitibus et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit; secus requiritur et sufficit licentia in scriptis data: Superioris localis cum consensu Capituli collegialis usque ad summam duorum millium libellarum; Praepositi provincialis de consensu Consilii sui usque ad summam quindecim millium libellarum; tandem Praepositi generalis cum suo Consilio usque ad summam triginta millium libellarum.

683. Pro expensis extraordinariis faciendis facultatem concedere possunt respective: Superior localis cum Capitulo collegiali usque ad summam duorum mil-

lium libellarum; Praepositus provincialis solus usque ad quinque millia libellarum, et de consensu Consilii sui usque ad quindecim millia libellarum. Pro expensis autem extraordinariis ultra quindecim millia libellarum semper recurrentum erit ad Praepositum generalem eiusque Consilium.

684. Largitiones, idest donationes gratuitae, ex bonis domus, Provinciae, Religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris competentis ad normam n. 683.

685. Oeconomus generalis rationem reddat administrationis suae Praeposito generali et Consilio bis in anno, Capitulo autem generali expleto triennio. Oeconomus provincialis item bis in anno Praeposito provinciali eiusque Consilio. Tandem Oeconomus localis rationem reddat singulis mensibus Capitulo collegiali domus.

686. Praeter Superiorum, Officiales quoque, qui in Constitutionibus ad hoc designantur, intra fines sui muneris expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide faciunt, dummodo tamen ad normam Constitutionum subque dependentia Superiorum agant et sunt cum Superioribus responsabiles.

687. Si persona moralis (sive Religio sive Provincia sive domus) debita et obligationes contraxerit, etiam cum Superiorum licentia, ipsa tenetur de iisdem respondere, sicut etiam de obligatione contracta ab aliquo Religioso cum legitima Superioris dictae personae moralis licentia.

Quicumque autem Religiosus contraxerit debita et obligationes, sine Superioris licentia, ipsem et responderet debet et contra eum semper actio institui potest.

#### CAPUT IV.

##### DE ALIIS OFFICIALIBUS SEU MINISTRIS ET PRIMO DE AEDITUO SEU SACRISTA.

688. Maximopere cupimus et hortamur, ut semper, si fieri commode poterit, sacrario Sacerdos aliquis prae-ficiatur et eidem unus ex Professis vir honestus, gravis et plane religiosus pro humilioribus exercitiis subii-ciatur.

689. Qui a Superiore nominatus fuerit Aedituus, cum primis diligentiam in nitore et cultu ecclesiae de-siderari non patiatur: curabit, ut munda pavimenta sint, purgati ab aranearum telis et sordibus quibuscum-que parietes; urceoli, candelabra, vasa, altarium map-pae et ornatus, flores tam naturales quam artefacti, sacrae Sacerdotum vestes et quaecumque divino cultui sunt dicata, sint nitida, composita, bene in sacrario suis locis disposita et hac in re operam, solicitudinem, imo et cogitationes suas, ut in Dei obsequium, libenter impendet et statim indices rerum omnium, quae in sacrario atque in ecclesia asservantur, ac notas obligatio-num describet in libello, quem apud se custodiet et saepe legendo percurret.

690. Si quid fractum, si quid quacumque ratione deperditum fuerit, quamprimum significabit Superiori, cui similiter statim ostendet quicquid dono datum fue-rit, et mox etiam addatur indici.

691. Fidelem se in eleemosynis adnotandis et Superiori tradendis exhibebit; candelas cereas, frustula item cerea nec emere, nec vendere, neque aliam quantumvis minimam expensam facere ausit, inconsulto Superiori.

692. Clausum retinebit semper a prandio sacramentum; ecclesiae fores aperiet et claudet hora a Superiori praescripta; Patres in chorum ad horas singulas divini officii convocandos, initium missis dicendis finemque faciendum constituto tempore, in ecclesia et in sacrario servandum silentium diligentissime curabit.

693. Mulieres in ecclesia commorari post vespertinae salutationis angelicae signum non patiatur.

694. Vocatus praesto sit et satagat, ut Nostri prompte deserviant omnibus, sed iis praesertim, qui ecclesiam frequentant de nobisque sunt benemeriti.

695. Familiaritatem cum mulieribus, quaecumque illae sint, nullam prorsus inibit; colloquia cum iisdem rarissima, brevissima et religiosam gravitatem atque modestiam redolentia habebit. Non cursitet per ecclesiam, sed modesto incessu, devoto aspectu ac humili invigilet omnibus, quae sui sunt muneris.

696. Opportune disponet ea omnia, quae ad rem sacram faciendam sunt necessaria et Sacerdotum, qui celebraturi atque eorum qui inservituri sunt, ordinem nunquam invertet, nisi praemonito Superiori: repentinum tamen casum excipimus, in quo aditus ad Superiori esse non possit.

697. Idem diligenter studeat, ut alba, quaqua versus digito uno, duobus ad summum, circa Sacerdotum pedes absit a terra; nec umquam quid lacerum, quid immundum adhiberi sinat.

698. Quisquilius vel aliquid sordium videri in ecclesia, in sacrario aut adiacentibus locis non permittat.

699. Sacerdotum sacrae vestes, missalia et calices,

missis omnibus absolutis, statim reponantur sitque omnis supellex suis in locis et armariis optime semper disposita; armaria clavibus occludantur, claves loco secreto serventur.

700. Ordo recitandi divini officii, qui quotannis imprimi solet, in loco visibili et commodo retineatur appensus.

701. Saecularium hominum famulatu sacrista non utatur, nisi necessitate coactus et cum Superioris obedientia.

702. Opportuno tempore Sacerdotes celebraturos praemoneat; missis ad mentem eorum, qui eleemosynas largiuntur, satisfaciendum curet et munus fere angelicum angelica puritate, solicitudine, dignitate studeat exercere.

## CAPUT V.

## DE BIBLIOTHECARIO.

703. Cum in unaquaque ex nostris domibus amplam et locupletem peroptemus bibliothecam extrui et instrui, illius cura Sacerdoti demandetur, viro docto, probo et solerti.

704. Is vero conficiat accuratam librorum indicem, qui in biblioteca extiterint, in eoque ita erunt alphabeticò ordine descripta nomina auctorum et quo quisque loco, classe, pluteo locatus sit, ut facile occurrant illos inquirenti.

705. Ubi legentium commodo libri deservierint, curet Bibliothecarius in eodem, a quo fuerant sublati, loco reponendos, nec extra bibliothecam sinat efferri sine licentia Superioris obtenta; extra collegium vero non nisi etiam de Superioris consensu cum voto duorum ex Senioribus.

706. Quod si alio commigrandum sit ei, qui ex biblioteca libros acceperat, det operam Bibliothecarius, ut is ante discessum eosdem restituat.

707. Describet in libro, quem asservabit in biblioteca, libros singulos, qui in Patrum aut Clericorum usum a Superiore concessi fuerint, annum item, mensem et diem, quibus ex biblioteca exportati; iisdem redditis, quod fuerat scriptum, deleatur.

708. Nemo bibliothecae claves nisi Bibliothecarius et Superior retineat. Alii omnes (nisi ex causa dispen-

sare cum aliquo voluerit Superior) a Bibliothecario in bibliothecam admittentur eiusque fores obseratae semper erunt.

709. Libris singulis suos titulos exterius inscribet, ut facilius cognoscantur, cavebitque ne iidem pulvere aut tineis corrodantur, ne complicentur eorum folia vel dilacerentur, ne atramento vel aliis maculis conspurcentur.

710. In verrenda bibliotheca diligentia utetur maxima, ne pulvis elevetur librisque adhaerescat. Eamdem bibliothecam ita digeret et disponet, ut illam adeuntibus religiosus nitor eluceat.

711. In virtute autem sanctae obedientiae praecipimus et inhibemus ne librum seu libros et manuscripta, etiam proprio usui concessa, quisquam alienare audeat vel, si iam destinata fuerint, ab uno in alium ex nostris locis transferre sine Praepositi generalis vel provincialis vel Capituli collegialis consensu scriptis expresso.

712. Ubi contigerit aliquem ex Nostris supremum diem claudere, videat Superior num post se reliquerit scripta vel elucubrationes sive politioris literaturae sive scientiarum vel etiam concionum, quae si profutura intelligat posteritati, ea in publicam bibliothecam inferet.

## CAPUT VI.

## DE IANITORE ET ALIIS MINISTRIS.

713. Cum Ianitoris officium in bene constituta domo tanti sit, ut ab illo maxima familiae commoda iuxta ac incommoda pendeant, idcirco qui huiusmodi munus iussu Superioris suscepit, Laicus erit professus, vir aetate provectus, comis, suavis, moribus, pietate, gravitate conspicuus.

714. Meminerit se custodem et vigilem domus agere; aget autem si sedulo ac assidue ianuae assidebit, ut pulsantibus citius ianuam aperiat, si literas et schedulas omnes, quae ab externis ad Nostros vel a Nostris ad externos mittuntur, insciis omnibus Praeposito vel Rectori tradet; quod nisi praestiterit, a Superiore punietur pro gravitate culpae.

715. Cum omnibus ita religiose versabitur et loquetur, ut ab eo facile coniiciant externi quam pie, quam sancte reliqui vivant, qui in interiore claustro resident.

716. Eleemosynas et munera quaecumque et cuiuscumque mittentur, statim deferet ad Superiorem aut, eo iubente, omnium usui ac victui asservabit; admonebit mox illum, ad quem missa fuerint, ut gratias agere possit benefactoribus et pro ipsis orare.

717. Cum mulieribus, quae ad ianuam accesserint, longos sermones ne habeat; nihil quovis praetextu det aut commonet alicui, nihil ad proprium usum dono aut etiam titulo eleemosynae accipiat, inscio Superiore. Io-

cis, cachinnis, irreligiosis sermonibus, aulicis verbis omnino abstineat.

718. Cum pauperibus, qui ianuam frequentant, aget ex Superioris praescripto.

719. Claves intra seram ianuae aut ianuam apertam numquam relinquet. Si Ianitorem occupatum esse aliquando contigerit, tunc claves non ad Ianitoris, sed ad Superioris arbitrium alteri erunt assignandae.

720. Prope ianuam vasculum cum aqua benedicta et pia aliqua imagine extet, ut egredientes eadem aqua seipsos aspergant et muniant contra tentationes omnes.

721. Qui confessionis gratia domos nostras adierint, eos ad loca pro confessionibus saecularium hominum audiendis designata comitabitur Ianitor et omnino prohibebit, ne ad confessariorum cubicula ascendant.

722. In nostris claustris ludere externis numquam permitte.

723. Nomina omnium, qui domi commorantur, in tabella prope ostium collegii descripta sint et Ianitor obvertat asserculos, in quibus nomina egredientium fuerint adscripta; aut alia quapiam ratione observet, ut sciat qui domi resideant, qui foras exierint.

724. Cum Parochum sive alium ex Patribus domo egressis externus aliquis quaesierit, Ianitor statim scribet nomen et cognomen querentis, mox Superiori significabit omnia et cum illius obedientia revertentem Sacerdotem admonebit.

725. Nocturno tempore ianuam non aperiet, nisi eum probe noverit qui pulsaverit, et causam didicerit, ob quam ad pulsandum ea hora advenerit: sed claves requirat a Superiore apud quem, sicut et Aedituus, eas deponere debet postquam ianuam clauerit.

726. Quod ad reliquos ministros attinet, debebunt ii cum humilitate in ea vocatione persistere et profi-

cere, in qua vocati sunt a Domino; orationi mentali et spiritualibus exercitiis assidui esse; quotidie missae sacrificio interesse spiritualique refectione spiritum recreare et communire contra hostes quoscumque; Superiorum iussa taciti, sed quam poterunt accuratissime observare; Sacerdotes summo honore venerari et alloqui; delectari silentio ac modesta et submissa voce colloqui; iurgia atque contentiones omnes studiose declinare; extra communem mensam nihil cibi aut potus sine licentia sumere; mutua benevolentia seipsos in Domino complecti; in suis ministeriis charitatem cum diligentia, humilitatem cum solicitudine coniungere, estimantes se non hominibus, sed Angelis, immo ipsi Deo servire.

727. Dabunt etiam operam ut mundities maxima in rebus omnibus quamvis minimis eluceat, ut accuratissimi sint in re familiari custodienda, ita ut nihil dissipetur, nihil disperdatur; ligna, oleum et huiusmodi res aliae non insumantur, nisi quantum necessitas exigit; et assidue secum reputent pauperes se esse et pauperibus ministrare, neque aliam suis laboribus deberi mercedem, quam caelestem et aeternam.

## CAPUT VII.

### DE ADMITTENDIS AD NOSTRUM HABITUM.

728. Caute omnino et seria tum disquisitione tum deliberatione hac in re procedendum est, ne externorum, licet illustrium virorum, rogatu admittantur qui minime divino spiritu vocati videntur et ad studium literarum minime apti, a quibus nihil laudis, nihil fructus sperari possit; plurimum vero dedecoris, detrimenti temporis, laxitatis et perturbationis merito timeri.

729. Ubi igitur nostrae Religionis habitum aliquis efflagitaverit, Superior domus novitiatus, probato prius per id temporis spatium quod sibi videbitur, illius spiritu et in vocatione perseverantia, per Praepositum provinciale Praeposito generali significabit, qui Superiori eidem et duobus vel alteri saltem ex Sacerdotibus ibidem degentibus, non consanguineis nec affinibus admitti cupientis, mandabit ut illum examinent et diligentissime, sed prudenter inquirant quae sit eius conditio, quae patria, qui parentes, quae corporis habitudo, quae aetas, qui mores, quae amicitiae, quae dotes, quae doctrina, quae indoles, quo spiritu ad nostrum hoc institutum amplectendum moveatur, a quo tempore vocari se senserit, quem sibi finem proposuerit, an levitate vel aliquo humano affectu aut inordinato animi motu ducatur, an aliquid in ipso desideretur, quod in iis requiratur, qui nostro vestiendi sunt habitu; et suis singuli rescribent literis quid cognoverint, quid de illo

sentiant, idque summa fide atque etiam iurati affirmabunt. Tum Praepositus generalis matura ac diligent consideratione expendet singulorum literas et quaecumque ad se rescripta fuerint ac, si in Domino expedire iudicaverit ut reiiciatur, curabit magna cum dexteritate et suavitate id faciendum; sin ut admittatur, iubebit ut idem Superior domus novitiatus suo collegiali Capitulo illum recognoscendum et admittendum proponat; quod fiet cum maiori suffragiorum parte, lectis prius a Cancellario examinatisque testimonialibus literis, quae de vita, moribus et aetate admittendi fidem adstruant. Deinde vero Superior per tramitem Praepositi provincialis de exitu suffragii certiorem faciet Praepositorum generalem, cui nempe, ex dictis in n. 149 harum Constitutionum, spectat ad novitiatum admittere.

730. Si vero ob nimiam loci distantiam non possit admittendus collegium domus novitiatus adire, satis eo casu fuerit testimoniales literas a Praeposito generali prius visas et approbatas ad Superiorum ipsius domus novitiatus mittere; illisque in Capitulo lectis, examinatis et comprobatis, etiam absens proponi poterit et admitti, servatis caeteris servandis ut in praecedenti n. 729.

731. Omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.

Debent praeterea testimoniales literas exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.

732. Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alias Religionis novitiatu fuerunt,

requiruntur praeterea literae testimoniales datae pro diversis casibus a Rectore Seminarii vel collegii, auditio Ordinario loci, aut a maiori Religionis Superiore.

733. Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficient literae testimoniales Ordinariorum, in quorum dioecesis post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto n. 732.

734. Religioso professo ad aliam Religionem ex Apostolico indulto transeungi satis est testimonium Superioris maioris prioris Religionis.

735. Invalidi ad novitiatum admittuntur:

a) Qui sectae acatholicae adhaeserunt;  
b) Qui aetatem quindecim saltem annorum nondum expleverunt;

c) Qui Religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;

d) Coniux durante matrimonio;  
e) Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;

f) Hi, quibus imminet poena ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possunt;

g) Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

h) Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iure iurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.

736. Illicite, sed valide admittuntur:

a) Clerici in sacris constituti, inconsulto Ordinario loci aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

- b) Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;
- c) Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias Religio timere possit;
- d) Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;
- e) Ad Sacerdotium in Religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;
- f) Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

737. Iuxta antiquam vero Ordinis nostri constitutionem a SS. Pio XI sub die 6 februarii 1924 confirmatam (cfr. Rescr. S. C. Relig. die 13 mart. 1924) adspirantes Laici non prius probationis annum inibunt quam per duorum vel trium aut etiam plurium annorum spatium, Praepositi generalis arbitrio, eorum indeles ingeniumque perspicuis argumentis probetur; neque ad primam professionem admittantur, nisi vigesimum primum aetatis annum compleverint.

738. Qui alterius Religionis habitum etiam per minimum tempus cum probatione detulerint aut aetatis suae annos quinquaginta excesserint, a Capitulo generali solummodo admitti poterunt, servatis caeteris de iure servandis. Qui vero ut postulantes in alieno Religiosorum coetu fuerint vel quadraginta annis maiores sint usque ad quinquagesimum, cum sola Praepositi generalis licentia.

739. Illud etiam diligentissime videndum est, an recipiendi parentes habeant re familiari ita destitutos,

ut probabilis sit suspicio post filiorum professionem ipsos fore Ordini nostro molestos ad sui sustentationem et ad inopiam sublevandam; et numquam Patres nostri aliquem admittent, cuius parentes, sorores aut neptes ea premantur egestate, ut a nobis postmodum sint alendi; neque ulla omnino parentum renuntiatio aut ab iis vel a quocumque alio praestita fideiussio sufficere iudicetur, sed cautius agendo tales nec propontantur, nec propositi recipientur.

740. Acta omnia quae respiciunt admissions in Ordinem diligenter asserventur in archivio Provinciae vel etiam in archivio loci ubi quis recipietur, antea tamen memoria cuiuslibet admissionis in libro actorum Capituli collegialis consignetur.

741. Qui recipiendi erunt, priusquam habitu nostro vestiantur, certiores fiant de iuramentis a se emittendis ante professionem, ut plenus de his suo tempore deliberare possint vel consilium mutare ante susceptiōnem habitus.

742. Domus novitiatus a Capitulo generali designatur, sed canonice erigi nequit, nisi de licentia Sedis Apostolicae, ad normam can. 554, § 1.

Plures in eadem Provincia novitiatus domus designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto.

743. Antequam quis ad probationem recipiatur, per mensem vel saltem quindecim dies in habitu saeculari, sed modesto nobiscum vivat, salvo praescripto n. 737 quoad postulantes Laicos. Signum probationis erit cingulum coriaceum.

744. Si qui inveniantur iuvenes boni ingenii a prima adolescentia ad statum religiosum dispositi, operae pretium erit eos admittere tamquam Probandos et statuere aliquam domum probationis vel etiam unam pro

unaquaque Provincia, si, Deo favente, auxerit eorum numerus; qua in domo adiuventur in religiosa vocatione et rite instituantur in inferioribus disciplinis sub speciali directione probati religiosi Sacerdotis a Definitorio eligendi subque cura idoneorum magistrorum, usque dum compleant aetatem et studia praescripta ante novitiatum.

---



---

## CAPUT VIII.

### DE NOVITIORUM INSTITUTIONE.

745. Novitiorum in regulari quacumque Congregatione optima institutio tanti facienda est, ut cum ex hac una consequentis aetatis omnes laudabiles progressiones fere dependeant, in ea etiam magnopere sit invigilandum, ut praecilla quisque iaciat fundamenta probitatis; egregius enim Christi miles veteranus evadet quisquis tyrocinium praecillare inierit, et honorifice prodibit in campum qui egregie se exercuerit in religiosa probationis palaestra. Quare in id unum incumbent pri-  
mum Patres, quod ad Novitiorum informationem optimo-  
ne ineundam pertinet, ut illis instituendis eum praeficiant virum et Magistrum, qui spectabili sit virtute,  
probitate, pietate, insignis morum gravitate, quae tam-  
en non fastosum animum suboleat, sed christianaे  
disciplinae redoleat sanctitatem; qui severitatem comi-  
et facili norit familiaritate condire; qui prudentia praesertim polleat; qui non obscura dederit probitatis ar-  
gumenta et exempla; qui sit Sacerdos annos natus quin-  
que saltem et triginta et decem saltem ab annis a prima  
professione professus.

746. Quamobrem enixe studebunt Patres, si possi-  
ble est, aliquem eligere in Comitiis generalibus, qui  
omnibus polleat requisitis ad normam art. 45, 46, 47  
et idoneus existimetur qui tantam provinciam obeat et

iis demum sit cumulate virtutibus ornatus, quas officii impositi dignitas postulat.

747. Hic eo cum primis animum viresque intendet, ut praescripta Novitiis instituta serventur eorumque observantiam exacte adeo suis a Novitiis exiget, ut minutissima quaeque et quae levissima existimantur, magni ponderis esse ducat violasse; ut non minus a levibus erroribus abstinere assuescant, quam a gravibus. Atque eo in munere perfungendo amplam auctoritatem habebit, nullique praeterquam Praeposito aut Rectori et Superioribus maioribus subiacebit, et nemini in Novitiorum institutione ac regimine, iisdem Superioribus exceptis, quovis colore se ingerere liceat. Ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister perinde ac Novitii Superiori est obnoxius.

748. Si ob Novitiorum numerum vel aliam iustum causam expedire visum fuerit, Novitiorum Magistro Socius assignetur a Praeposito generali vel eius delegato; qui Socius sit pariter Sacerdos, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus et sanctitatis exemplo praefulgeat. Hic psallendi et canendi rationem ex nostro rito Novitios instruet, chorum frequentabit, illis assistet tunc praesertim cum a prandio vel a coena recreantur vel domo exeunt et quoties impeditum esse Magistrum contigerit. Laicos Novitios in observatione nostrarum Constitutionum, in rebus spiritualibus et in ministeriis domesticis, ad quae singuli deputati fuerint, instruet. Omnia loca domus circumspiciet et, ut munda sint et ut omnia suo tempore peragantur, diligenter curabit.

749. Pro necessitatibus quae accidere possunt, unus ex ipsis Novitiis aetate moribusque proiectior deputetur, qui, absente Magistro vel Socio omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuae custodia et rerum

levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit.

750. Magister epistolas singulorum vel quas Novitii ad propinquos exarabunt vel quae ad Novitios perferentur, prius leget, quas, ut expedire cognoverit, aut mittet aut legendas Novitio concedet aut consindet.

751. Cavebit ne Novitius quempiam alloquatur ex saecularibus, nisi se coram aut Socio suo Promagistro; nullum, ni prius facultatem a se impetrarit, a quocumque recipiat vel leve munusculum. Interdicet prorsus cum professis consuetudinem omnem et collocutionem.

752. Invigilabit identidem ut mentali orationi vident eiudemque probe desiderium imbuant et scientiam illo spirituali exercitio mentem cum Deo, sacro quadam coniugio, uniendi apprime calleant.

753. Progymnasmata praescribet salubria carnis edomanda per mortificationes voluntarias, ieunia, cibilia, disciplinas et alia huiusmodi, quae discreta charitas pro singulorum indigentia suaserit. Quid ad conscientiae puritatem et ad animi candorem conservandum valeat edocebit; quam saepe sit illius discussio facienda; quantum sit momenti positum in sacramentorum frequentia ad fovendam et augendam pietatem. Efficiet ut quotidie missae sacrificio intersint et sacra Synaxi se etiam quotidie, si pie voluerint, reficiant.

754. Omnem navabit operam ut a Novitiorum animis superbiam, iactantiam, fastum, ambitionem, arrogantium radicus evellat; haec enim vitia si Religiosum occupent, monstrum creant, lupum scilicet sub ovina pelle, qui Religionis viscera, fervorem nempe et zelum disciplinae depascitur; quamobrem per humilitatis exercitia, tum circa abiectiora ministeria, tum circa culpas dicendas, ad sui contemptum et earum re-

rum, quas saeculum iactat, despectum inducere et inflammare conabitur.

755. Ad obedientiam, quae, uti divus Augustinus ait, *mater quodammodo est custosque virtutum omnium*, sic eosdem animabit, ut felicissimam existiment sortem obedientis, infelicissimam inobedientis ac proinde certatim contendant in huius consecutione et executione virtutis, nec in ea quisquam se superari patiatur ab alio.

756. Diligenter observabit quem in virtutibus progressum iidem fecerint, quem ex oratione aut ex mortificationibus fructum retulerint, quam speciem ingerant futurae probitatis et doctrinae atque de uniuscuiusque progressu, moribus, ingenio Praepositum generalem singulis mensibus per literas edocebit.

757. Meminerit sui praesertim muneric esse spiritus interni culturam summo studio exercere, quam ne umquam negligat, monemus et hortamur in Domino, cui commissi huius gregis in novissimo die reddenda est ratio; omnem ideo movebit lapidem, ut pietatem, modestiam, verecundum animum induant et maximum in institutum, quod amplexi sunt, amorem immo et ardorem.

758. Curabit ut externam munditiem, quasi testem interioris nitoris, praeseferant, paupertatem ament, non sordes; exquisitiore vestium compositione, quae signum vanitatis est, non delectentur, sed habitus, vultus, verba, incessus, externa denique omnia mores graves et religiosos exprimant.

759. Statis interdiu horis ecclesiasticis caeremoniis exercebuntur, ut, quae ad sacrum ecclesiae cultum pertinent, non ignorent, praesertim ecclesiasticum cantum condiscant.

760. Proiectores aetate Novitii qui erunt, iidem studebunt ut obedientia et humilitate sint probatores.

761. Caveatur quam diligentissime ne soli umquam relinquantur; iugiter illis vel Magister vel Socius assistet.

762. Inter probationis tempus nulli venia concedatur, ut ad epulum vel affinium vel parentum se conferat.

763. Vestitus erit vulgaris, qui paupertatem praeserferat. Atque illud etiam Novitiorum Magister industrioze praestabit, ut abnegandae voluntatis propriae occasiones crebro suppeditet, quo facile flectant mentem ad obsequendum Superioris voluntati.

764. Corporalibus exercitiis interdum ad relaxandum animum, ad fovendam corporis sanitatem vacabunt; eaque ad remittendas curas solatia concedat Magister Novitiis, quae non ita iocularia sint, ut leges honestatis aut regularis disciplinae praetergrediantur, sed et quae remittendo animum, eundem salubriter iuvent et experimentum faciant qualis quisque sit indolis ac ingenii; in quibus facile erit Magistro intimus explorare naturae propensionem et corporis complexionem, quam ut enitatur quibuscumque artibus perscrutari, admonitum volumus.

765. Eos, cum opus erit, qua lenibus, qua severis obiurgationibus corripiet, ut in officio unumquemque suo contineat; cum offenderint, pro delicti gravitate puniat; in refectorio tamen vel publice, dum Novitius se accusabit, Superioris sit poenam delicti inferre.

766. In correctionibus et in emendandis Novitiorum erratis paternam gravitatem, compassionem atque dulcedinem, sed vividam efficacemque demonstret. Aspernum se, iratum aut perturbatum numquam ostendat, ne diffidentia illorum pectus invadat ac proinde vel

conscientiam ipsi non reddant vel non integre et sincere, quae res et progressiones impedit in virtute et ingentia damna parit in subdito diffidente.

767. Loca probationis a professorum conclavebus seu domibus sint omnino seiuncta, solitaria, quae hospitum commeantium frequentia non perturbentur, in quibus solum religiosum tyrocinium probe et naviter instituantur et ea praesertim seligentur, quae salubritate coeli aërisque temperie et amoenitate maxime commendentur. Etiam Laici annum probationis in domo novitiatus canonice erecta peragere omnino debent.

768. Singulis etiam Novitiis singulae ad dormendum cellulæ assignentur. Praeter ecclesiam, in quam ad recitandas diurnas et nocturnas preces statis horis Novitii convenient, Oratorium sit intra illorum claustrum ad reliqua spiritualia exercitia peragenda et, si fieri commode poterit, etiam hortus ad honestam recreationem a saecularium prospectu remotus.

769. Illud praeterea cavendum volumus, ne cuiquam Novitio, quo tempore tyrocinium Religionis ponit, domo probationis egrediendi, apud saeculares pernotandi seu convivendi facultas concedatur, nisi grave id expostulet infirmitatis periculum; neque de loco in alium dimoveatur, nisi Praepositus generalis gravi oborta occasione secus decreverit.

770. Praeter alia quae supra (n. 735) ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet per annum integrum et continuum, necnon in ipsa domo novitiatus. Quod si aliquando iusta gravique de causa novitiatus interrumpatur, standum est praescriptis can. 556 Codicis iuris canonici.

771. Ad confessiones Novitiorum quod attinet, standum pariter est praescriptis iuris communis.

In specie autem quater in anno detur Novitiis con-

fessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.

772. Ante professionem votorum simplicium Novitus debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et de eorum usu et usufructu libere disponere. Quod si ea cessio ac dispositio praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenierint, fiat aut iteretur secundum normas supra statutas, non obstante simplici professione emissa.

773. In novitiatus decursu si suis beneficiis vel bonis quovis modo Novitius renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est.

774. Novitii ante professionem si quid per testamentum relinquere tempore legitimo voluerint Ordini, collegium vel domum aliquam, cui relictum applicetur, nominabunt, vel Praepositi generalis voluntati rem totam integrum reservabunt. Qua in re Patres a quibuscumque suasionibus abstineant, liberam Novitiis protestatem relinquentes; caveant tamen Novitii ne in suis ultimis voluntatibus aliquid relinquant, iis adiectis conditionibus, quae regulari disciplinae vel Constitutionibus nostris praeiudicium aliquid afferre possint.

775. Iam vero, quemadmodum in admittendis ad probationem caute et prudenter agendum est, ita si qui minus ad onus ferendum Religionis idonei videbuntur nullumque specimen praeseferant aut constantiae aut bonae indolis, recte illorum animis exploratis, reiiciendi facile erunt a Capitulo de consensu: Praepositi generalis, qua in re nulla erit habenda ratio humanae per-

sonae, sed solus Dei honor et Ordinis utilitas perpendenda.

776. Si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superiori generali probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari.

## CAPUT IX.

### DE NOVITIIS ADMITTENDIS AD PRIMAM PROFESSIONEM ET DE PROFESSIONE SOLLEMNI.

777. Ad validitatem primae religiosae professionis apud nos requiritur ut:

- a) Qui eam emissurus est legitimam aetatem habeat, scilicet sextum saltem et decimum annum expletum;
- b) Eum ad professionem admittat Praepositus generalis de consensu Capituli collegialis domus novitiatus;
- c) Novitiatus validus ad normam nn. 735 et 770 praecesserit;
- d) Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emitatur;
- e) Sit expressa;
- f) A Praeposito generali per se vel per alium recipiatur.

Ad validitatem vero professionis sollemnisi requiritur, praeter caetera servanda, ut praecesserit simplex professio temporaria ad normam n. 785 utque profitens vicesimum primum aetatis annum expleverit.

778. Ubi primum annum probationis integrum expleverint Novitii, Rectoris seu Praepositi partes erunt illos accersere, propositi sui commonere ac plane interrogare an in coepto vitae instituto persistere velint et nostram religiosae vitae rationem constanter sequi.

Quod si eorumdem animo firme inhaeserit nobiscum Christo militare et supplices id publice postulaverint, Patri generali significabitur, de cuius licentia Capitulo collegiali ipsius domus novitiatus proponet et, singularum Vocalium secretis suffragiis uno saltem supra medietatem suffragantium numero excedente, aut admittentur aut reiicientur; quod cum praestiterit, eundem Praepositum generalem admonebit, qui vel ipse Novitios admittet ad vota vel, si impediatur, Praepositum provinciale aut Superiorem loci illius vel quempiam alium Religiosum pro admissis specialiter delegabit, ut Novitios ad professionem recipiat.

779. Antequam professionem emittat, Novitus coram Superiore constitutus iurare teneatur se nullum corporis vitium aut pravam valetudinem nativumque morbum celasse aut celare, ex quo ad Constitutiones nostri Ordinis servandas impotens reddi vel notabiliter impediri seu ad id disponi possit.

780. Praeterea quicumque Novitus scripto contestetur et palam confirmet se nostri Ordinis varia instituta, vivendi rationem, observantias et Constitutiones didicisse, ac sponte, libere, non ultra adactum metu, nec aliqua vi coactum, necessitate nulla compulsum religiosis votis se obstringere.

781. Cum unusquisque nostrum eius Provinciae censeatur esse filius, in qua ad Religionem admissus fuerit et in qua vel pro qua professionem emiserit, hoc declarari oportet in actu professionis.

782. Formula vero nuncupandorum votorum ex praescripto Ritualis nostri Clericis latina sit, Laicis vernaculo sermone; quod erit veluti symbolum et tessera, qua duo status illi, clericalis et laicalis, intonscantur.

783. Norint autem Laici nostri sibi prorsus esse

interdictam ad clericalem habitum, ad primam tonsuram et Ordines promotionem; quam Constitutionem ne violent, Capitulum generale in virtute Spiritus Sancti sanctaeque obedientiae obnuntiat ac mandat. Proinde Laici ante votorum nuncupationem sibi probe comper tam esse hanc Constitutionem contestentur.

784. Votis nuncupandis spiritualia exercitia Novitius praemittat per octo saltem solidos dies.

785. Novitus post expletum novitiatum in ipsa novitiatus domo debet votis sollemnibus praemittere votorum simplicium professionem ad triennium valitaram vel ad longius tempus, si aetas ad sollemnem professionem requisita longius distet.

Hoc tempus Praepositus generalis potest, renovata a Religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium.

786. Professus a votis simplicibus antea nequit valide sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renuntiare. Sequuta professione, ea omnia statim fiant quae necessaria sunt, ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

787. In emittenda autem professione sequens formula adhibenda erit:

*In nomine Sanctissimae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Anno Domini N., die N., mensis N., in ecclesia N., civitatis N., (vel loci). Ego N.N., civitatis N., dioecesis N., filius N. N., emissurus vota simplicia temporaria (vel vota sollemnia), voveo, profiteor et promitto Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Augustino Patri nostro, beato Hieronymo Aemiliano Ordinis nostri Fundatori totique Curiae coelesti et tibi Reverendissimo Patri nostro D.*

*N.N., Praeposito generali Ordinis Clericorum Regularium a Somasca (vel, si non fuerit ipse Generalis: Tibi Admodum Reverendo Patri D. N.N. in hac parte specialiter delegato a Reverendissimo Patre nostro N. N. Praeposito generali) et successoribus tuis (si non fuerit Generalis: successoribus illius) canonice electis, ad triennium (vel usque ad annum vicesimum primum aetatis meae expletum, vel in perpetuum) OBEDIENTIAM, CASTITATEM ET PAUPERTATEM: hoc est in communi vivere secundum regulam Sancti Augustini, Patris nostri, iuxta Constitutiones dicti Ordinis factas seu faciendas. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.*

*Hanc temporariam (vel perpetuam) mei oblationem accipiat omnipotens et misericors Deus, mihi pro sua benignitate concedat, ut cum Eo coniungere valeam. Ego N.N. scripsi et propria manu subscripsi et ore proprio pronuntiavi.*

788. Ritus et caeremoniae pro utraque professione iuxta nostrum Rituale emendatum et rite probatum serventur.

789. Singulae domus novitiatus, ubi prima professio facienda est; item singula collegia in quibus aut vota forsan renovantur aut sollemnis professio emititur, librum habeant in quo profitens manu propria formulam votorum nuncupatorum exscribet, subscriptam ab ipso professo et saltem ab eo, coram quo professio emissa est; qui liber in archivo fideliter custodiatur. Insuper, si agatur de professione sollemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiore reddere.

## CAPUT X.

### DE RATIONE STUDENDI, DE ADMITTENDIS AD STUDIA ET DE PRAECEPTORIBUS.

790. Nuncupatis votis, Clerici todo studiorum curriculo ad arbitrium Praepositi generalis in uno ex praescribendis ab eodem collegio commorabuntur, quibus Sacerdos aliquis morum integritate, doctrina excellens caeterisque qualitatibus requisitis praeditus, praeficiatur.

791. Is nuper professos bonis imbuat moribus, in pietate confirmet, spiritualibus exercitationibus detineat, ut interim disciplinis bonisque artibus pariter ac pietate excolantur. Naviter vero et impigre Sacerdos praefectus eorum spiritualibus commodis invigilabit prospicietque singula diligenter, quae ad optimam adolescentium informationem eosque ad severam disciplinam promovendos spectant, dabitque cum primis operam ut leges, quae pro secundi novitiatus aut professorii Novitiis sancitae sunt quaeque nec iuri communi aut hisce Constitutionibus opponantur, exacte observentur.

792. Cum ex duobus quasi fontibus pietatis et eruditio religiosi viri omnis felicitas petenda sit, Ordinis vero ornamentum quocumque laudabiles progressiones haec duo firmissima praesidia solum respiciant, Praepositi cum primis Generalis partes erunt et Provincialium studiorum rationibus omni solitudine pro-

spicere. In hoc igitur sedulo incumbent ut nostros adolescentes ad studia promoveant eosque disciplinis et bonis artibus erudiendos curent, qui praestanti sint ingenio quique praeclararam spem iniecerint non leves esse in scientiis progressus facturos.

793. Id vero praecipue spectabunt Patres, ut qui disciplinis addicuntur, non in animi elationem et fastum privatum, sed in obsequium Dei Ordinisque ornamentum et utilitatem doctrinam sint derivaturi.

794. In studiorum domo vigeat perfecta vita communis; secus studentes ad Ordines promoveri nequeunt, et ibi Superiores ne collocent nisi Religiosos, qui sint ad exemplum regularis observantiae studio; atque sedulo invigilent, ut ea quae circa regularem observantiam pro omnibus Religiosis praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur.

795. Religiosi, antequam ad philosophica aut theologia studia accedant, in inferioribus disciplinis rite instructi esse debent. Curandum autem est, ut secundum instructiones et statuta ab Apostolica Sede approbata studia peragantur.

796. In philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium nostri iuvenes diligenter incumbant.

797. Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem Professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia eaque sancte teneant.

798. Studiorum tempore Magistris et alumnis officia ne imponantur, quae a studio eos avocent vel scholam quoquo modo impedian; Praepositus autem generalis et in casibus particularibus alii quoque Superiores possunt pro sua prudentia eos a nonnullis com-

munitatis actibus, etiam a choro, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur.

799. Magistri seu Praeceptores illi ad informandos nostros adolescentes diligentur, qui sint vitae integritate spectabiles, moribus graves et pii; doctrina vero et ea, quam professuri sunt, disciplina apprime erudit.

800. Praeceptores mensa semper in loco communi utentur, nec quidquam hac in re sibi Superioris localis auctoritas vindicabit. Vesperis et Completorio, si statim post Vespertas recitetur, diebus festis in choro; quotidie vero orationi mentali, ut cap. «*De oratione mentali*» dictum est, intererunt; eamque inibunt docendi methodum, quam Patres pro recta scholarum administratione privato libro praescribent.

801. Caeterum Nostri liberalibus disciplinis, sacris praesertim literis et canonibus excolantur, atque, ut Deo Optimo Maximo et sanctae Ecclesiae suam operam praestare aliquando possint, linguis etiam, praesertim biblicis, erudiantur.

802. Superiores singuli, apud quos adolescentes nostri studiis operam navabunt, nihil intermittent, quod ad excitandos illorum animos ad studia capessenda et acrioribus stimulis urgendos opportunum videbunt, qua hortationibus impellendo, qua obiurgationibus, qua praemiis. Necessaria, ut promptiori et alacriori animo studiis vacent et incitatori desiderio rapiantur, suppeditabunt.

803. Praepositus igitur generalis et provinciales tempore visitationis de cuiuscumque in studiis profectu diligentissime inquirent; si expedire videbitur, examen instituent se coram et exhibitis praceptoribus periculum facient singulorum.

804. Et, si quis ex nostris adolescentibus, quibus summum otium literarum conceditur, ut disciplinis in-

cumbant, segnius studia tractaverit, vel laboris impatiens vel contumacior aut petulantior illi obedientiae detrectet se submittere, cui secundi novitiatus seu professorii Clericos volumus esse subiectos, proinde parum et in spiritu et in literis et in peritia linguarum profecerit, is, postquam semel et iterum atque etiam tertio correptus et castigatus fuerit, a studiis amoveatur ac tanto beneficio privetur. Hunc vero nolumus ad sacros Ordines vel Sacerdotium sine Definitorii consensu promoveri, servatis de caetero servandis.

805. Religiosi sacerdotes post absolutum studiorum curriculum quotannis saltem per quinquennium a doctis gravibusque Patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis.

Excipiuntur qui vel sacram theologiam vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant; qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti.

806. Vetantur Religiosi sine licentia Superioris generalis et Ordinarii loci libros quoscumque etiamsi de rebus profanis tractent, edere et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari.

Itaque Praepositus generalis libros, quos subditi edere voluerint, duobus ex nostris Patribus theologis, antequam imprimantur, legendos et diligenter examinandos committet, horumque partes erunt non solum accurate perpendere an aliquis error irrepsicerit, sed etiam an digni sint qui lucem aspiciant eruditorum, servatis fideliter Ecclesiae praescriptis.

## CAPUT XI.

### DE PROMOVENDIS AD ORDINES.

807. Si qua in re diligenter nobis providendum est ne quis error committatur, ea potissimum esse debet, in qua de cultu divino agitur, ut quam maxime illi velimus esse consultum. Quamobrem nullus ex Nostris, qui clericali habitu Deo est mancipatus, minoribus aut maioribus Ordinibus initandus promovebitur, nisi praescriptas a iure communi conditiones omnes habeat.

808. Statuta ab eodem iure tempora inter Ordines serventur, nisi alioquin gravis immineat necessitas et servatis servandis. Non evagabitur quisquam aut alio se conferet, extra casus in iure recensitos (can. 966), ut Ordinibus initietur, sed in ea dioecesi, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus, ipse promovebitur.

809. Caveat Superior quilibet ne ad sacros Ordines quempiam, ni prius a Praeposito generali vel provinciali (de licentia et consensu eiusdem Praepositi generalis) impetrarit facultatem, promovendum curet, quam ubi obtinuerit, Capitulo collegiali proponet sacro Ordine initiandum, nec nisi a maiori suffragantium parte admissus censeatur.

810. Promovendum vero ad Ordines antequam Capitulo collegiali proponat Rector seu Praepositus collegii, examinandum a duobus aut tribus ex doctioribus

Patribus curabit circa scientiam iure requisitam et an sit idoneus accurate explorabit.

811. Superiores maiores professis votorum simplificium literas dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et Ordines minores. Pro maioribus Ordinibus requiritur praevia sollemnis professio. Neque ad Ordines etiam minores ullus promoveatur durante novitiatu.

812. Quoad tempus promovendi ad primam tonsuram et ad sacros Ordines serventur canones, item quoad examina subeunda standum est praescriptis iuris et cuiusque dioecesis statutis.

813. Superior maior, pro Religiosis ordinatis cum suis literis dimissoriis, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque Subdiaconi transmittat ad Parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro.

---



---

## CAPUT XII.

### DE HABITU CLERICORUM ET LAICORUM.

814. Non minori cura invigilandum est, ut nostri Ordinis Patres et Fratres ea utantur vestium compositione, quae religiosos viros deceat, ut scilicet nec nimis elegans et splendidus sit vestium ornatus, neque sordidus et nimis abiectus ullus Nostrum incedat. Erunt itaque omnium externae vestes nigri semper coloris, modici pretii, simplices.

815. Clericorum tunica protensior talos feriet, anteriori parte tota usque ad cingulum sit consuta; de super nonnullis uncinulis adstricta, duobus saltem ad collare, ne aut collum aut guttur appareat. Pallium eiusdem fere longitudinis, ita tamen ut tribus vel quatuor digitis decrescens superemineat tunicae. Palliorum collaria haud supra tres digitos altiora prominant. Zonae nullo modo sint sericae, semel tantum circumducantur et in anteriori parte nectantur. Pilea, ad religiosi viri honestum decorum accommodata et iuxta approbatas locorum consuetudines, nullis funiculis vitrisve sericis adornentur; domi vero biretum quadratum gestetur. Galericuli non sint serici.

816. Indusia omni careant et ad collum et ad manus ornamenito illorumque collaria ad collum supra vestem unum tantum digitum vertantur vel, ut mos fert, ab indusiis disiuncta tunicis assuantur, ex materia a Definitorio statuenda.

Lacernae sive domi sive extra domum religiosae paupertati, quae omnem horret vanitatem, prorsus conformes deferantur. Femoralia non sint ad talos usque producta.

817. Tunica Laicorum sit aliquantulum brevior, ut distinguantur a Sacerdotibus.

818. Caeterum, quod ad cooperierendum caput et ad alia, quae de habitu variare possunt, standum est probatae consuetudini locorum.

819. Ea demum sit vestitus tam interioris quam exterioris compositio, ut nihil holosericum vel subsericum, nihil vanitatis aut pretiositatis, nihil nimis exulti et elegantioris ornatus vel minima qualibet in re appareat, nihil, quod a religiosa simplicitate et paupertate declinet vel saecularium oculos, quos maxime in religiosos viros intentos tenent, etiam leviter offendat.

820. Caveant prorsus Nostri ne chorum ingrediantur aut in claustris aliove loco saecularibus videndos se exhibeant, nisi decenter amicti et induiti habitu praescripto.

821. Capillorum et barbae, si alicubi barbam gestare licuerit, eiusmodi rationem Nostri habebunt, ut religiosum decorum, non aliquam animi levitatem aut vanitatem praeseferant: quamobrem pilos aequaliter attonbos gerent, barbam non e malis nec totam abradent, neque ad mentum brevi collectam, sed decenter angulis conformatam, aequalem, nec ultra tres digitos a mento promissam gestabunt.

822. Religiosi proprium nostrae Religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.

823. Habitus probationis ante novitiatum, si cui adspiranti etiam Clerico conceditur a Praeposito ge-

nerali, erit similis ei quem supra statuimus, sed non permittuntur collaria, nec pilea quadrata, nec galericuli pro Laicis: insuper loco zonae circumducatur cingulum nigrum, ex filo contextum, lateribus ligatum, aliquantulum pendens usque ad genua.

## CAPUT XIII.

## DE FABRICIS ERIGENDIS.

824. Magni momenti novae aedificiorum erectiones existimande sunt, neque sine diligentí accurataque consultatione Nostris vel inchoandae erunt vel prosequendae. In primis igitur cavebunt ne, servatis servandis, ullum prius opus moliantur quam, servato prius praescripto nn. 335 et 336 harum Constitutionum, a Praeposito generali facultatem obtinuerint Praepositi vel Rectores; quam ubi impetrarint, maturo etiam consilio et prudentia opus erit; ideam aedificii graphice delineatam a perito architecto depromi curabunt primum, eamdem postea peritissimis duobus vel tribus aliis architectis examinandam proponent, plures consulent, nec absque Consiliariorum vel seniorum Patrum consultatione et consensu quidquam tentabunt, ne postea cogatur alter aedificium demoliri.

825. Si quid reparandum instaurandumque erit, quod ruinam minetur vel vitium faciat vel in elegantiorem formam parvo impedio commutandum videatur, si id impensam excesserit a Definitorio statutam, tantum eiusdem Definitorii vel, in casu urgenti, Praepositi generalis auctoritate concedendum erit, servato tamen praescripto nn. 682 et 683.

826. In aedificiis vero erigendis illud spectare debent Patres ne, vel amplitudine vel magnificentia operisve structura, paupertatis et modestiae obliviscan-

tur; ne ullus sit in saecularium domos prospectus et, si qui iam sint, omnino obstruantur. Incurrat in oculos introëuntum nostra collegia et domos, ante et intra ostium, sacra Christi crucem deferentis effigies affabre et eleganter depicta vel sculptura perpolite caelata.

827. Nostris in domibus clausura omnino servetur; quae erit clausura papalis.

828. Lege clausurae papalis afficitur tota domus, quam Communitas regularis inhabitat cum hortis et viridariis accessui Religiosorum servatis: excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet.

829. Praepositi generalis vel Capituli generalis erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare. Partes autem clausurae legi obnoxiae patenter indicentur.

830. Intra clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis, sub quovis praetextu.

831. Si domus adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera Religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, Religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta.

832. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus Religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur: in casibus autem verae necessitatis Nostri semper comitem habeant.

833. Omnes, quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimen-tum patiatur.

## CAPUT XIV.

## DE AEGROTANTUM CURA.

834. Si umquam Superiores nostri paternum erga subditos affectum declarare debent et charitatis aequaliter pectore ardorem, tunc praesertim declarabunt, cum aliqui in morbum inciderint. Magna itaque cura et prospicientia curabunt, ne quidquam illis desit omnibusque remediis sit cuique aegrotanti probe consultum.

835. Praeficient aegrotorum famulitio Sacerdotem unum et Laicum, qui charitate prae caeteris exaestuent et pia, accurata et vere fraterna solicitudine illorum sanitati procurandae sedulam operam navent. Medicorum isti praescriptum diligenter servabunt, ne leviter quidem ab illo recedent et, si quid ob inopiam domus nostrae aut collegia suppeditare minime poterunt, ab amicis emendicare opportuni importunique Nostri non vereantur.

836. Si contigerit plures eodem in loco oppressos morbo decumbere, plures constituantur infirmarii, sique necessitas urgebit, saeculares adhibeantur.

837. Scripto infirmarii vel infirmis assistentes consignabunt singula, quae facienda praecipient medici, ut horam propinandi pharmaci, coenae, prandii et huiusmodi.

838. Singula etiam observabunt, quae ad morbum spectant, ut prognosticos dies medicus probe et sympto-

mata aegrotantis internoscat: quapropter notabunt diem aegrotationis, horas decrementi incrementique morbi diligentissime, ne gravis aliquis error infirmarii incuria a medico committatur, magno aegrotantis incommodo salutisque periculo.

839. In unaquaque domo valetudinarium construantur commodum, salubriori loco, a strepitu et domesticorum frequentia, quam fieri poterit, remotum, in quo aegrotantes, usque dum convalescant, curentur.

840. Cum periculose aliquis aegrotaverit, solus numquam esse permittatur et mutatis vicibus Patres et Fratres, qui valebunt, ad praescriptum Superioris iugiter illi assistent, minimeque negligent aliquid incommodi et molestiae pati, ut probe fratribus aegrotantis saluti tam corporis, quam animae prospiciatur.

841. Animae vero ad salutem quod attinet, Praepositi et Rectores curabunt, ut aegrotantes subditi conscientiam suam sacramentali confessione initio morbi purificant, sacrae Eucharistiae sacramento quam saepius enutriantur, Extremaque Unctione iuxta medici aut etiam aliis viri prudentis consilium suamque pie-tatem se aeger opportune corroboret.

842. Superiori ex concesso nobis privilegio, aliove Sacerdoti, qui infirmis assistat, facultas est concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam Ritualis Romani, quam benedictionem impertiri ne omittat.

843. Convalescentes, nisi bene confirmatis viribus et medico iubente, lecto surgere non ausint; iisdem Superior ex medici praescripto ad valetudinem confirmandam adiumenta omnia suppeditabit.

844. Si quis ex Nostris morbum contagiosum contrahat, quod in aliorum praeiudicium vertere possit, et non adsit vel non sufficiat valetudinarium aptum in

domibus Ordinis, unde difficile sit aegroto mederi, ad impediendam propagationem contagii, carent Superiores ut is aegrotus recipiatur in aliquod privatum valitudinarium, vulgo « *Casa di salute* ».

Impensis vero pro tali cura provideat Provincia, si potest; sin autem cum Provincia portione aequali concurrant etiam eae domus, in quibus principaliter et per plures annos aegrotus operam navavit.

## CAPUT XV.

### DE EGREDIENTIBUS DOMO ATQUE HONESTA ANIMI REMISSIONE.

845. Instar piscis extra aquas Religiosus est extra claustra; quocirca maxima cura adhibenda est, ne labatur in interitum. Ut ergo Religiosum virum suo remotum e conclavi divina Dominus protectione custodiat, nullum, ex Nostris egredi volumus, qui flexo ad terram genu benedictionem humiliter a Superiori non petierit et obtinuerit, quam similiter petere non omittet statim ac domum fuerit regressus. Nullum ex Clericis vel Sacerdotibus domo exire iubemus sine comite, quem suo pro arbitrio Superior assignabit et eumdem recusare aut permutare quovis praetextu fas erit nemini.

846. Quilibet se domum vesperi ante signum salutationis angelicae recipiat. Coenandi licentia nocturno tempore extra claustra nemini umquam concedatur.

847. Accessus ad quascumque mulierum domos sine expressa licentia Superioris prorsus Nostris interdicitur: pervidebit vero Superior ne sit in ea concedenda indulgentior, nec eam concedet, nisi personarum et occasionis maturo consilio accurate perpenditur rationem et qui mulierem est alloquuturus, coram comite semper alloquatur.

848. Incumbant Superiores ne collegium umquam sine competenti numero relinquatur ad ipsorum iudicium et in subditorum egressu explorabunt quo quisque

se conferat, ne casus aliquando ferat plures in eodem loco apud eosdem reperiri.

849. Qui domo egrediuntur, per ianuam collegii non ecclesiae transeant, suique egressus Ianitorem admonent identidem et regressus, ut is compertum habeat quod domi sint, qui extra profecti.

850. Scandala quaecumque ut a Nostris evitentur, numquam iis in locis consistent, neque ad ea cominus accident, ubi spectacula publica habentur, aut loca ingredientur, ubi, praetextu se reficiendi, in saecularium animos admirationem ingerant.

851. Pallium utroque humero sustentetur et a parte anteriori decenter ac religiose compositum; eius collare non obvolvatur, sed erectum circa collum deferatur ab omnibus; si timeatur ne pallium decidat, duplice vitta ex filo hinc inde a collari ad tergum dependente, non serico funiculo et globulo ad collum revinciatur. Motus corporis, ut capite «*De modestia*» dictum est, neque mollis sit neque concitatus: oculis ad terram deiecit Nostri incedant, nec manus agitent incedendo, neque curiose quidquam, quod obvium habuerint, intueantur.

852. Quod ad recreandum animum spectat, cum nihil sit durabile quod alterna requie careat, licebit Superioribus semel in hebdomada domi vel foris honestam relaxationem aliquam subditis concedere iuxta cuiusque indigentiam, sed iuniorum recreationibus, maxime cum extra civitatem conceduntur, vitae spirituialis Magister vel Magistri Socius aut ex Senioribus quispiam praesens semper aderit, qui vigili custodia commissum gregem moderando tuebitur, ne disrupto disciplinae fraeno ad saeculi mores, immo et ad vitia, quod iuventuti facillimum est, praeceps ruat.

853. Singulis diebus a prandio et a coena per horam vel paulo secus mutuis se colloquiis Nostri recrea-

bunt, quae tamen sint honesta, seria et a Religioso viro minime aliena. Illud praecipue cavebunt diligentissime ne de rebus civilibus diversorum Statuum colloquuntur, ex quo aemulationes et contentiones, immo et odia oboriri frequentissime solent, sed unius corporis membra esse singuli cogitent, vinculo charitatis arctius invicem copulati, quam alio quocumque sanguinis ac patriae. Nemo igitur charitatis et humanitatis normas offendat.

854. Ludi, quibus vel nimium temporis insumitur vel scandalum aliquod creatur vel sanitas laeditur, omnino interdicuntur.

855. In villis saecularium pernoctandi non detur passim facultas, adolescentioribus praesertim tam Clericis quam Sacerdotibus, quibus assignabitur comes aetate gravis et moribus honestus; sed et sibi licentiam hanc raro Superior assumet.

856. At vero feriarum tempore concedimus, tam Professoribus literarum quam studentibus aliquam requiem et recreandi animi laxationem, per id temporis spatium quod bene videbitur Definitorio generali, etiam iuxta ecclesiasticarum scholarum consuetudinem.

857. Nemini eo tempore recreationis praetextu per nostra domicilia licentiose vagari permittatur, et si quis alio se conferendi facultatem a Praeposito generali vel provinciali obtinuerit, is ad eum dumtaxat locum perget, ad quem eundi licentiam impetrarit.

## CAPUT XVI.

## DE VIATORIBUS ET HOSPITIBUS.

858. Nullus domicilio sibi ab obedientia designato discedere umquam attinet, praetextu etiam Praepositum generalem vel provincialem conveniendi, absque licentia ab iisdem scriptis obtenta: minus liceat Superiori cuicunque ex suis subditis quempiam ad Praepositum generalem vel provincialem mittere, ni prius de re ob quam mittere decreverit certiores illos fecerit et mittendi facultatem impetrarit, gravissima excepta causa, quae moram non patiatur.

859. Statim atque ad aliquam ex nostris domibus hospes accesserit, ecclesiam vel oratorium ingredietur, actisque Deo religioso more gratiis, inde recta Superiorum aut, eo absente, Vicesuperiorem adibit, eidem manum reverenter exosculabitur; literas, si quas secum deferet, cuicunque illae dirigantur, fideliter consignabit; causam sui adventus exponet, nisi a Praeposito generali vel provinciali mittatur, et patentes suae obedientiae literas exhibebit, sine quibus districte Superioribus inhibemus ne quempiam ex Nostris admittant vel retineant.

860. Quotiescumque iter Nostris ineundum erit, Itinerarium devote pronuntiabunt et, si commode poterunt, sacrum vel facient vel audient.

861. Caveant hospites adventantes ne, liberius quam

par est aliorum dicta et facta referentes, novis rumori- bus domum impleant, ne rogantibus quid alibi fiat, quid Superiores moliantur, quid suspicentur, quid in aliis familiis novitatis evenerit, enarrent, neve curiosius ipsi de aliorum actionibus inquirant aut sermonem instituant. Cum enim oblocutiones huiusmodi omnem solvant mutuae charitatis nexum, religiosae domus tranquillitatem perturbent, detractionibus, suspicionibus, diffidentiae aditum aperiant, reverentiam et observantiam in Superiores vel imminuant vel prorsus adimant, omnino volumus ut alienorum exploratores et delatores huiusmodi, si qui reperti fuerint, severe puniantur et, si ita expedire Superiori videbitur, ab aliorum consuetudine seiungantur eorumque nomina ad Definitorium et ad Capitulum generale deferantur, ne ullis umquam in Ordine dignitatibus praefulgeant, nisi spiritum religionis rursus induisse bene cognoscantur, quem se exuisse sua ipsorum colloquia et agendi ratio aperte testabantur.

862. Contra vero de aliorum virtutibus, de iis quae Ordinis bonum nomen et existimationem augere possunt, de Superiorum charitate et prudentia, ut audi- tibus aliis hospites nostri disserant et mutuos misceant sermones, laudamus et in Domino hortamur.

863. Necessaria quaecumque iter suscipientibus et alio commigrantibus, viaticum videlicet et supellex via- toria ad normam paupertatis et charitatis suppediten- tur ab eo Superiori, a cuius domicilio recedunt, ut omnis proprietatis occasio submoveatur.

864. Supellectilem si quam Nostris ferent in iti- nere, eam a Superiori impetrata licentia quisque aspor- tabit, quae et statui conveniat et itineri non sit impe- dimento: omnia autem exscribentur et scripto Su- perior manu propria subscribet ac sigillo domestico obsi-

gnabit, seriemque suaे supellectilis statim Superiori, ad quem accesserit, sincere ostendet.

865. Si quis, conciones aut cathedras professus vel literarum studio deditus, scripta seu libros asportare necesse habuerit, id Praepositi generalis, provincialis aut Superioris loci licentia scriptis obtenta praestabit.

866. Inter faciendum iter, qui professione, loco etiam praecedet, nisi officii ratio aliud postulet.

867. Superior localis facultatem concedere possit suis subditis ut, suadente rationabili causa, triduo abesse possint, et ipse per id tempus a residentia abesse potest; sed maior absentia permitti debet a Praeposito generali vel provinciali secundum statuta Capituli generalis vel Definitorii.

868. Superioribus fas non est permettere ut subditi extra domum propriae Religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius, secundum Constitutiones.

Pro absentia quae sex menses excedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur; excipe si causa studiorum intercedat, quo tamen in casu observandae sunt normae in can. 587, § 4 praescriptae.

869. Hospites advenientes, dummodo literas dimissorias habeant, omni humanitate et charitatis affectu excipientur.

870. Superiores omnes locum peculiarem hospitibus admittendis praeparatum habere et, prout vires nostri Ordinis ferent, necessaria cuilibet subministrare curabunt, ita ut nihil iis desit et non minus contractior parsimonia quam effusior liberalitas; deliciae, saecularis apparatus a nostris hospitiis omnino exulent.

871. Unum ex Laicis, virum spectatae charitatis, probitatis et modestiae, hospitum addicent obsequio,

qui omnia hospitalitatis officia hilari vultu et animo exequatur.

872. Comitem, cum egrediendi e claustris licentiam illi petierint, semper Superiores assignabunt, nec permittent ut, vel ab ipsis pro arbitrio assumatur vel exeant incomitati, nisi in aliquo particulari casu aliud Superiori videatur.

873. Subdantur Superiori hospites ipsi prorsus in omnibus; exemplum taciturnitatis, modestiae, observationis nostrarum Constitutionum caeteris praebeant. Hospites tenentur ad omnes actiones communes.

874. Ubi fuerint nostri Ordinis domicilia, ad ea et non alio recto itinere se conferent, nec Superiores, quibus illi se praesentaverint, pernoctandi licentiam extra nostras domos ullo modo concedere possint, sed neque hospites sibi arrogare sub poena a Superioribus infligenda.

875. Adventantes aliunde negotiorum gratia domo non exeant, nec aliquid emant, dono dent, aut mutuo accipiant, nisi de consensu Superioris ibidem residentis qui, ut eos corrigere possit, immo ut debeat, hac nostra Constitutione sancimus.

876. Cavebunt hospites ne onerosos se illis domiciliis exhibeant, ad quae divertent, maxime si Orphanotrophia sint, neve ibi moram diuturniorem faciant quam literis dimissoriis sit illis concessum. Transacto primo die, choro et orationi praesertim interesse atque missas celebrare meminerint, nisi itineris longitudo vel patens negotiorum necessitas illos excuset.

## CAPUT XVII.

## DE EPISTOLIS SCRIBENDIS ET EARUM INSCRIPTIONIBUS.

877. Epistolas nemo scribat mittatve aut ad se missas recipiat sine Superioris licentia.

878. Has quisque auspicabitur hac ratione: si ad Praepositum generalem epistola exaretur, ad primam consalutationem addet: *Benedicite;* claudet vero his verbis: *Paternitatis Vestrae Reverendissimae servus et filius in Christo obedientissimus.* Si ad alios Patres vel Fratres conscripta sit, post consalutationem sit apprehensio: *Benedictus Deus.*

879. Superscriptiones epistolarum his et non aliis titulis adornentur: ad Praepositum generalem qui scribet, hac utetur forma: *Reverendissimo Patri Praeposito generali Ordinis Cler. Reg. a Somasca.* Praepositis vel Rectoribus aut Capituli generalis Vocalibus: *Admodum Rev. Patri.* Caeteris Sacerdotibus: *Rev. Patri Don.* Clericis sacris ordinibus initiatis, *Rever. Don* tantum assignabunt. Clericos in sacris minime constitutos aut Laicos, *Charissimos vel Honorandos in Christo Fratres* compellabunt. Omnes vero subscriptent nomen et cognomen et Ordinis titulum, et tam Sacerdotes quam Clerici sacris iniciati praeponent *Don.*

880. Nemini liceat ludicas literas et scurriles subscribere et, nisi urgeat aliqua necessaria occasio, a literis exarandis quiske se temperet.

881. In iis nihil, quod ad alias familias pertinet, qui scribent curiosius pervestigabunt, quidve alibi agatur explorabunt aut nuntia ultro citroque mittent.

882. Et cum ad primarios viros Superiores literas exarabunt, eam, quam par est, erga illos adhibere reverentiam omnibusque modestiae et urbanitatis officiis colere meminerint.

883. Caveant omnes ne in scribendo quid incaute vel, quod nulla ratione tolerandum est, veteratorie et callide scribant, quo Ordini vel alicui in aliquo detrahatur aut quisquam irrideatur aut iurgiis oneretur.

884. Quae ad quemcumque, Praeposito generali excepto, scribentur epistolae, eae non nisi dimidio folio exarentur, secus tamen si negotiorum necessitas cogereat scribere longiores.

885. Superiori fas est, salvo tamen praescripto n. 886, epistolas Clericorum et Laicorum vel missas vel acceptas, servato prudentiae dictamine ac secreto de iis quae legit, reserare; quoad caeteros subditos observet normas a Definitorio traditas in casibus particularibus.

886. Praeterquam ad proprios Superiores maiores et ad Superiorum domus forte absentem, omnes Religiosi possunt libere literas mittere, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in Natione Legatum; et ab istis omnibus literas item nemini inspiciendas recipere.

887. Quo tempore Definitorium celebrabitur, nemo, etiamsi sit Superior, audeat epistolas ad Patres Definitorii conscriptas reserare aut retinere.

888. Quae a civitatum Rectoribus, Praelatis vel viris illustribus dignitate et auctoritate praeditis vel ab universitatibus aliisve coetibus mittuntur literae ad Capitulum generale vel ad Definitorium vel ad Prae-

positum generalem aut ad quoscumque alios, si collegiorum erectiones vel aliquid, quod ad nostri Ordinis commendationem aut alicuius ex Nostris insigniter laudem vertat, complectantur, diligenter et fideliter in archivio asserventur.

## CAPUT XVIII.

### DE OTIO VITANDO.

889. Ex otio, ceu fonte, cum omnia fere mala prossilient, praesertim obmurmurations, ariditas in oratione, neglectus obedientiae et mortificationis, transgressio Constitutionum, nausea rerum spiritualium, aversiones a Superioribus et ab instituto, ignavissimus tepor rebus in omnibus, privatae amicitiae, quaesitae occasiones frequenter egrediendi, curiositas in perquirendis temereque reprehendendis Superiorum actionibus, facilitas in damnandis aliorum dictis et factis, pericula castitatis violandae et huiusmodi, quae disciplinam religiosam enervant et omnem evellunt ex animis eorum, quibus insederint, pietatem; sequitur hinc ut quisquis otiosus est, idem sit et vitiosus.

890. Superioribus igitur acriter insistendum est, ut subditi bono aliquo opere faciendo iugiter occupati sint, numquam otiosi per claustra divagentur vel ad aliorum cubicula convenienter aut alia ratione tempus inutiliter terant. Quamobrem propria munia ita omnibus assignabunt et tempus illis obeundis ita distribuent, ut unusquisque sciat quid sibi singulis horis sit peragendum. Poterunt etiam sacrario, bibliothecae, infirmis curandis, hospitibus recipiendis praefici, ut Superiori videbitur, cuius conscientiam serio oneramus, ne otiali suos ulla ratione dissimulet et patiatur.

## CAPUT XIX.

## DE TRICLINIO ET MENSA.

891. In singulis nostri Ordinis collegiis et domibus triclinium seu refectorium exstruatur, quoad fieri potest, a frequentia remotum; quod idem statuimus de popina et promptuario.

892. In illo cum primis sacra Christi Domini coena affabre picta adumbretur piaeque hinc inde imagines appingantur et Sancti Patris nostri effigies loco conspicuo appareat. Suggestum pro lectione et concionibus eminenti loco erigatur.

893. Duplicibus tantum vicibus sive prandii sive coenae refectio sibi invicem succendentibus mensa communia fiat ut qui primae interesse non poterunt (optamus autem ut, nisi urgeat necessitas, omnes eidem ad sint frequentes) secundae intersint.

894. Antequam primae accumbendum sit mensae, duplice signo aeris campani convocentur omnes, qua absoluta, statim unico tantum signo dato, alii, qui primae non interfuerunt, admoneantur.

895. Qui legitime impediti primae non interfuerint, refectorium, postquam legi coeptum erit, non ingredientur, sed expectabunt secundam.

896. Ante refectionem vel prandii vel coenae beneficio religioso more romanoque ritu praeponatur; quod

etiam observetur in gratiarum actionibus post refectio- nem, cum, dato a Superiore surgendi signo, lector dicit: *Tu autem Domine etc*, et reliqui respondent: *Deo gratiæ*. Post hoc omnes e triclinio egrediantur: minor e Clericis praebeat, reliqui ordine professionis sequantur cum silentio. Superiore ingrediente refectorium, omnes assurgent; Praeposito vero generali, Vicario generali et provinciali detegant etiam adsurgentes caput.

897. Initio prandii, tam in prima quam in secunda mensa, legatur aliquid ex Sacra Scriptura (quam dum leget, capite detecto, lector stabit), deinde Martyrologium et alius pius vel utilis liber usque dum Superior a silentio dispensaverit. Ad coenam aliqua brevis et utilis lectio habeatur.

898. Surgendi tam a prima quam a secunda mensa signum expectetur a Superiore vel ab eo qui vices Superioris aget; ante illud, nisi gravis necessitas immineat, nemini egredi liceat.

## CAPUT XX.

## DE SEMINARIORUM ET CONVICTORUM REGIMINE.

899. Si quando regimen et cura Seminariorum nostro Ordini tradatur, Superiores, praeter ea quae in nostris Constitutionibus statuuntur, observent apprime canones omnes, qui in Codice iuris canonici sanciti sunt tum quoad spiritualem directionem, tum quoad studia, tum quoad administrationem, tum quoad dependentiam ab Ordinario.

900. Ut autem pretiosissimum colendorum iuvenum officium melius obtineatur, a Definitorio Patres eligentur qui ad informandos adolescentes sint non doctrina tantum, sed etiam virtutibus et prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint, qui sint gravitate, rerum personarumque diurna experientia magis quam aetate seniores, animarum zelo ferventes caeterisque virtutibus excellentes.

901. Rectores Seminariorum, Convictorum et locorum ubi sive publice sive privatim adolescentes in literarum studiis erudiuntur, curam omnem adhibebunt, ut ii doctrinae christianaee rudimentis probe instruantur, ut quotidie omnes intersint missae sacrificio et sacramenta statis temporibus ex eorum regulis, immo quam plurimum frequentent, ut singulis sextis feriis postrema scholarum matutinarum semihora nostri Praecep-

tores proprios discipulos pio aliquo sermone ad eorum captum accommodato ad virtutis amorem, ad pie sancteque vivendum, ad modestiam, ad puritatem honestatemque inflammet; ut et consuetas preces devote quotidie recitent et orationi etiam mentali assuescant ii, qui natu maiores et aptiores erunt: ut suas regulas, quae semel in mense legentur, exacte observent; ut in literarum studia et sedulo et serio incumbant moribusque optimis imbuantur; ut contentiones, mendacia, iurandi usus seu potius abusus, turpiloquia, immodestia, inurbanitas, aliorum contactus, immunditia tam corporis quam vestium ab omnibus evitentur; ut si quos nimis audaces, proclives ad vitia, pervicaces et omnino non ferendos cognoverint, numquam dissimulando tollerent, neque cum aliis simul vivere aut versari patientur; ut lampas in singulis dormitorii nocturno tempore accensa resplendeat et suum cuilibet cubiculo Praefectum deputent, quem tamquam virum perfectum adolescentes admirentur et imitentur; is verecundiam, quietem, silentium servandum ab omnibus curabit; ut exempla probitatis, honestatis et religiosae modestiae a Nostris referant; ut numquam prodeant in publicum nisi bene compositi et cum decore simul et cum honore Praefectos, Magistros, Superiores, Maiores alloquantur.

902. Dormitoria saepissime visitent etiam nocturno tempore; cubicula privatum alicui numquam concedant, neque cum Nostris in eodem cubiculo ex convictoribus quemquam, licet consanguineum aut etiam fratrem, sinant pernoctare.

903. Ut suaee satis conscientiae Rectores faciant, scholas quotidie vel ipsi vel per Vicerectorem frequenter, privato discipulorum examini, disputationibus, quae sabbato fiunt, saepe intersint; auscultent aliquando et legentes ex cathedra Magistros et reddentes

discipulos quae a Magistro audierint; videant dictata, inquirant si quid negligenter a praceptoribus vel a discipulis agatur; Praefectum studiorum unum ex Patribus probitate, prudentia et eruditione insignem ubique constituant, qui et advenientes primum iuvenes examinet, scholas cuique deputet et de Rectoris mandato de profectu singulorum experimentum saepe faciat. Proderit aliquando publica laudatione diligentibus prosequi, negligentes iniesto rubore vel metu excitare et propositis praemiis ad aemulationem scholasticam omnes provocare. Huic rei applicabunt Rectores animum et nihil omittent, quo adolescentes, qui nostris in locis educantur, optima institutione optimi evadant et assiduis literarum exercitamentis optime erudit.

904. Summopere satagant Rectores ut adolescentes provectiores aetate et studio uberius ac perfectius catechesim excolant, instructionem comitetur expositio praecipuarum narrationum historiae sacrae vel etiam historiae ecclesiasticae.

905. Ubi publicae fuerint delinquentibus iniungendae poenitentiae, eae prudenti iudicio Rectoris vel regulis loci propriis statutae adhibendae erunt.

906. In emendandis adolescentium peccatis caveant Superioris, Magistri, Praefecti ne indignationem aut indicium etiam levissimum aversionis ab eo, qui corrigendus est, praeseferant, neve insurgant in convicia et contumelias, sed, dum vitia puniunt, erranti compatiantur atque a mansuetudine et clementia, quae propriae sunt Religiosi hominis virtutes, numquam recedant.

907. Quod ad Sacraenta convictoribus administranda eorumque corpora sepelienda spectat, percurrat Superior diligenter privilegia nostro Ordini concessa et in Bullario impressa, quibus, cum sese obtulerit occasio,

prudenter utatur. Caeterum serventur Canones iuris communis.

908. Si quem ex Nostris animadverterint nimia familiaritate suspectum, paterne primo moneant, tum corripiant coram Vicerectore; et nisi correptus emendetur, alio mittendum current et de eo Praepositus generalis vel provincialis ad Definitorium referat, ut illius saluti et Ordinis existimationi consulatur: sed interim impunitus non relinquatur. Si eo familiaritas processerit ut cum Vicerectoris consilio ille sit omnino amovendus, praecidatur statim omnis suspectae familiaritatis occasio, et prudentia qua fieri poterit maxima occurratur ne quid mali succedat.

909. Domos alumnorum nostrorum adire Magistris aut Praefectis, quamquam ab eorum parentibus et consanguineis invitati fuerint, prandendi aut comedendi gratia, etiam vacationis tempore, non facile permittatur: et, si iustis de causis huiusmodi licentia alicui concedetur, comes semper a Superiore eidem assignabitur, non ab ipso eligetur.

910. Munera a discipulis seu convictoribus, licet minima et ad devotionem pertinentia, si quis ex Praefectis vel Magistris privatim et sine obedientia acceperit, gravius semper puniatur quam si ab alio recepisset.

911. Maxima etiam in Nostris circumspectione opus est, ut in continua fere cum saecularibus adolescentibus consuetudine religiosam ubique gravitatem et religiosae probitatis opinionem conservent.

912. Idcirco praesenti Constitutione districte prohibemus ne Nostri ludo qualicumque cum saecularibus, quicumque illi sint, umquam colludant, ne intempestivo tempore et extra triclinium cum iisdem comedant vel quidquam esculenti aut poculenti etiam in mensa, excepto Superiore, ipsis offerant, ne intima sui pectoris,

multo minus secreta Ordinis nostri seu alicuius ex Nostris defectus vel poenam illi impositam cuiquam externo significant, ne liberiore utantur colloquio et consuetudine; et omnino ita Nostri se ipsos moderentur atque componant, ut omnis eorum actio, verba omnia sint optima nostrorum alumnorum instructio.

---



---

## CAPUT XXI.

### DE CURA ET REGIMINE ORPHANORUM.

913. Cum noster Ordo fundamenta olim iecerit in pia orphanorum institutione et cura, ratio etiam postulat ne illam posthabeant posteri, sed quanta possumus contentione et alacritate conandum est nobis, ut tam pium opus amplectamus, prosequamur omniq[ue] solitudine, summo pietatis affectu ad illud illustrandum et augendum excitemur, ut Sancti Patris nostri Hieronymi Aemiliani vestigiis insistentes intensem pietatis illius ardorem nostris pectoribus confoveamus, qui huiusmodi cum primis piis actionibus militiam Christo nostram erexit.

914. Rectores igitur et Oeconomos (quos communis vocabulo Commissos vocamus) ad orphanos regendos Patres destinabunt charitate maxime flagrantes, ita ut cum priscis nostris Patribus, qui in hoc opere misericordiae sedulo sese occuparunt, comparari possint et avitam illam maiorum nostrorum hac in re gloriam non solum conservent, sed, si fieri possit, etiam augeant et illustrent.

915. Quilibet proinde Sacerdos orphanorum curae destinatus operam dabit ut primas eorum instituendorum partes christiana educatio, pietas optimorumque morum informatio occupet; curabit ut omnes singulis mensibus peccata sacramentali expient confessione, a-

tate maiores quintodecimo quoque die vel frequentius, si opus sit; nam, cum omnes quotidie sancto missae sacrificio interesse debeant, vehementer hortamur ut Rector promoveat prudenter frequentem immo et quotidianam Communionem.

916. In prima parte missae sacrificii legatur brevis meditatio, quae utilitati spirituali iuvenum prospicit, ad quam meditationem Pater Director Spiritualis gradatim disponet eorum animos.

917. Ad sacram Synaxim prima vice sumendam admittantur ad normam iuris, sed praeparentur maxima cura probeque instruantur de omnibus quae ad christianam pietatem affatim animo hauriendam spectant; et quoad doctrinam christianam servetur quod dictum est in capite praecedenti pro Convictoribus.

918. Orphani recitabunt quotidie Rosarium beatae Mariae Virginis; dominicis autem et festis diebus etiam Vespertas B. Mariae Virginis. Quoad Confessarios Superior procedat ad normam iuris.

919. Adolescentes studiis primariis operam navabunt iuxta statuta legum cuiusque loci propria.

920. Aetate a lege praescripta artem aliquam ut quisque condiscat diligentissime studebunt eorum Rectores, praesertim vero sutoriam et vestium acu texendorum et calceorum conficiendorum vel aliam quamcumque, qua inde habeant vitae sustentandae viam expeditam.

921. A verberibus et a poenis immodicis Nostri abstineant, sed paterna, quae pium institutorem decet, benevolentia utantur, ut blande quisque ad bonam frugem et bonos mores imbibendos traducatur; itaque severitas cum charitate coniungatur.

922. Rectores Protectoribus vel Patronis suadeant ut maiorum nostrorum ordines in pueris recipiendis

observent, quibus cavebatur ne quis ante septennium vel post decimumquartum annum admitteretur aut qui natalibus obscuris natus esset vel qui vere utroque parente non esset orbatus. Qui vero Protectoribus nullis subduntur, haec inviolabili lege irrefragabiliter servabunt et cum primis studebunt ut ad eleemosynas corrogandas quam raro, quoad fieri poterit, mittant, ut numquam solos, sed comitante aliquo ex Nostris.

923. Prospicient diligentissime ut decenter nitidi et in ipsa vestium paupertate culti et domi sint et in publicum prodeant. Oeconomi autem vel Commissi libenter operam suam praestent ut adolescentes munditie omnimode eniteant.

924. Rector sedulam navabit operam ut illorum dormitorium caeteraque loca, praesertim ubi officina exercetur, sint munda, scopis perpurgata, quotidie sternantur grabata. Quotidie vel ientaculum vel antecedium praefeatur. Noctem per totam lampades in dormitorio ardeant; singulos lectos habeant; aegrotis praecipua charitate deserviantur.

925. Iam vero Rector uni etiam huic curae maxime invigilabit, ut notet si quos pravae indolis ex grandioribus reprehendat, qui disciplinae et institutionis sint contumaciores quam ut flecti et bene institui possint, ut illos quantocius exturbet.

926. Quicumque instituti visitator excipiatur a pueris silentio et maxima observantia; quod si ille fuerit dignitate aliqua ecclesiastica insignitus, genuflexi benedictionem petant.

927. Verum ut tam pii operis iure quasi hereditario a nostro Institutore gloriosae et sanctae memoriae Hieronymo Aemiliano nobis traditi vigeat apud nos exacta observantia, de orphanorum regimine peculiarem libellum compositum, in quo plenius ac fusius singillatim

omnia traduntur quae ad hoc religiosum institutum augendum et diu conservandum spectant, singuli Rectores habebunt, cuius a praescriptis ne latum quidem unguem recedent.

928. Ut in omnibus nostris domibus privatis in locis decernimus Sancti nostri Institutoris Hieronymi Aemiliani effigiem pictura adumbratam, ad piam illius memoriam conservandam et devotionem excitandam, eminenti loco erigi; ita Orphanotrophia, maxime quae ipse instituit, iubemus ut Parentis sui memoriam conservent: in dormitorio, in officinis et refectorio eiusdem Sancti Patris nostri effigiem depictam habeant.

---



---



---

## CAPUT XXII.

### DE PUELLIS ORPHANIS REGENDIS.

929. Puellarum ordinarii Confessarii non a Superiori locali, sed a Praeposito generali aut provinciali deligitur et praesententur Ordinario loci ad normam iuris; aetate ad minus illi sint annorum triginta quinque, vitae probitate, morum pietate ac prudentia senes.

930. Ad crates confessionalis, non alibi, confessiones excipient; crates vero ipsae lamina ferrea perforata, quae amoveri non possit, sint munitae et nigro velo obductae.

931. Confessarii ne ingrediantur partes domus ubi degunt puellae orphanae nisi Sacramentorum administrandorum gratia, et tunc quidem non alio divertent, non domum circuibunt, ni urgens necessitas aliqua aliud suadeat. Qui secus egerit puniatur.

932. Ab his munera nulla accipient, non pecuniam ad celebrandas missas vel quidpiam aliud, etiamsi devotionis et pietatis causa sine venia Priorissae.

933. Si pernoctare contigerit ob nimiam locorum distantiam, dato salutationis angelicae vespertinae signo, ad proprium commeabunt cubiculum.

934. Omnes vero aequa diligat confessarius et omnes aequa ignoret. Ultra triennium Confessarii munus non

obibit eodem loco, ni aliter Superior maior et Ordinarius loci decreverint.

935. Caeterum in regendis puellis orphanis serventur canones iuris communis et decreta particularia Capituli vel Definitorii generalis.

FINIS LIBRI TERTII.

## LIBER QUARTUS

### CAPUT I.

#### DE CULPIS ET POENIS.

936. Cum nostrae Constitutiones nullius culparent, nisi in casibus suo loco expressis, obligent, aequum est ut transgressores aliqua saltem poena afficiantur, ne legum institutione contenti illarum observantiam negligamus. Quamvis enim rectae prudentiae proprium sit in privatis culpis omnia attento animo intueri, multa dissimulare, pauca corrigere, tamen, cum agitur de transgressionibus publicis et manifestis, Superioris officium est opportune corrigere, ne eius silentium vel quiescentia consensionis speciem praesefeat, neve inde malum communitatis oriatur.

937. Si alicuius notabilis culpae reus aliquis convictus fuerit, cui nulla specialis vel a iure vel a Constitutionibus poena sit imposta, tunc Superior loci, adhibito consilio duorum vel trium Seniorum, a praevari- catore fratre poenam quam censuerit aequalem delicto repeatat. Qua in re semper habebitur ratio qualitatis, malitiae, reincidentiae, consuetudinis, facilitatis in delinquendo, pertinaciae, mali exempli et huiusmodi, ita

ut pro rerum adiunctis poena augeri in omnibus possit, ubi culpa notabiliter augetur.

Enixe vero hortamur ut in poenis infligendis procedatur caute, perpensis circumstantiis, maxima consideratione et prudentia, minime autem ex ira aut animi motu, quia cum poenae institutae sint in aedificationem, non in destructionem, curandum est ne in vacuum aut in ruinam cedant.

938. Quando in Constitutionibus poena indicitur privationis ab officio, etiam ipso facto incurrienda, propter multa incommoda et pericula quae inde plerumque solent emergere, declaramus transgressores ad eam luendam non statim teneri, sed quando iam convicti coram Superiore eiusmodi sententia declaratoria decreta fuerit in Capitulo vel Definitorio generali et ab eodem fuerit confirmata. Salva semper in Praeposito generali auctoritate procedendi ex officio, si delictum aliquod moram non patiatur.

939. Quoties autem quis privabitur professionis loco et voce, tunc ille in nulla electione suffragium feret, nullum gradum in Ordine obtinebit, in Capitulo collegiali ultimus post Clericos professos culpas suas accusabit ultimumque locum post professos habebit. Laicus professionis loco privatus post Laicos similiter sedebit.

940. Culpa leves, exempli gratia: parvae transgressiones Constitutionum in materia levi, fortuitae negligentiae in exequendis propriis officiis, parvae irreverentiae erga Superiores, defectus humanitatis, comitatis, charitatis vel decentiae, transgressio silentii tempore assignato, levitas in sermone et similia, levibus poenis puniantur. Opportunum erit corrigere et admonere antea privatim, deinde, si opus fuerit, publice, iniungendo interdum alias breves preces aut visitationem SS. Sacramenti aut aliquot humilitatis vel mor-

tificationis exterioris actus et similia ex Superioris iudicio.

941. Culpa maioris ponderis sunt notabiles defectus reverentiae erga Superiores aut charitatis erga confratres, habitualis incuria in adimplendis obedientiae muneribus, transgressiones Constitutionum in materia gravi aut etiam in materia levi, sed cum contemptu legis et communi scandalo, habitus adversi bonis normis modestiae, pietatis caeterarumque religiosarum virtutum cum pacis, concordiae et regularis disciplinae violandae periculo.

Pro hisce culpis Superior, postquam inaniter evadere privatas admonitiones viderit, ad publicas et sollemnes recurrat; quod ubi non sufficiat, reos puniat indicens silentium per aliquot dies servandum in cubiculo vel aliam graviorem humiliationem aut mortificationem imponens cum consilio Seniorum.

942. Quod si quis maioris culpae reus neque post praedictas puniones emendationis signa dederit, Superior Praepositum provinciale certiorem faciat, qui auditio suo consilio, in reos animadvertiset ratione quam opportuniorem iudicabit, illud ante omnia intendens ut scandalum avertat, si adsit, bonum spiritum et regularem disciplinam tueatur, nec sinat abusus et perturbationes serpere. Ad id consequendum poterit poenas maiores assignare, utpote cursum exercitiorum domi vel in aliena religiosa familia complendum, aut imponere ut delinquens per aliquod tempus domo non exeat maneatque a caeteris segregatus. Si vero, poenitens facti, sponte veniam reus petat, tunc mitius cum eo agendum.

943. Quia non intendimus elenchem tradere poeniarum pro singulis delictis, Superiores omnes Religiosis nostrae in applicandis poenis pree oculis habeant

normas Codicis iuris canonici vel, in harum defectu,  
normas legitima consuetudine apud nos receptas.

944. Et quoniam Superiores subditis exemplo sint oportet, volumus ut Praepositi provinciales attente vigilent super rationem vitae non solum Religiosorum subditorum, sed etiam Superiorum minorum; quos si reos alicuius delicti vel negligentes in urgenda regulari observantia invenerint, monere atque etiam punire ne omittant, certiore interim facto Praeposito generali, si ipsi rei non se emendaverint vel recidivi fuerint.

## CAPUT II.

### DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA TEMPORARIA NUNCUPARUNT.

945. Cum non detur institutio tam sancta super terram, quo corruptio humanae naturae irrepere non audeat, non obstantibus Constitutionum cautionibus, indigni etiam in Ordine invenientur, qui sine praeiudicio ipsius Ordinis retineri non poterunt, cum despiciant Constitutiones, alias seducant aut perturbent, pietatem offendant, perfectionem caeterorum impediant, intra extraque muros scandalum pariant: eiusmodi dimittere iustitia et charitas urgent, servatis normis Codicis iuris canonici.

946. Professum a votis temporariis in Ordine nostro dimittere potest Praepositus generalis cum consensu sui Consilii per secreta suffragia manifestato, maioritate absoluta.

947. Religiosum autem dimittere Praepositus generalis eiusque Consiliarii nequeunt, graviter eorum onerata conscientia, nisi servatis quae sequuntur.

948. Causae dimissionis debent esse graves. Possunt haberi sive ex parte Religionis sive ex parte Religiosi. Defectus spiritus religiosi, qui aliis sit scandalo, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero in-

firma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

949. Causae dimissionis, licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formal iudicio comprobentur. At Religioso semper manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter sufficiantur.

950. Contra dimissionis decretum est Religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam et, pendente recursu, dummodo interpositus fuerit intra decem dies ab intimatione dimissionis, ipsa dimissio nullum habet iuridicum effectum.

951. Religiosus dimissus ad normam nn. 946-950, ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus Ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641, § 1 et 642; Clericus autem in minoribus Ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem.

### CAPUT III.

#### DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA SOLLEMNIA NUNCUPARUNT.

952. Religiosus professus a votis sollemnibus in Ordine nostro ne dimittatur, nisi processu instituto, salvo praescripto can. 646 et 668.

953. Ad sententiam dimissionis ferendam competens est apud nos Praepositus generalis Ordinis cum suo Consilio, quod saltem quatuor Religiosis constet; si qui deficiant, eorum loco totidem Religiosos eligat ipse Praepositus de consensu aliorum qui cum eo tribunal collegiale constituunt. Praepositus generalis de aliorum consensu Promotorem iustitiae nominet ad normam can. 1589, § 2.

954. Ad processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint:

- a) Gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius;
- b) Monitiones;
- c) Defectus emendationis.

955. Delicta debent esse saltem tria eiusdem speciei vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum permanens quod ex repetitis monitionibus virturiter triplex fiat.

956. Ad monitionem faciendam necesse est ut aut

delictum sit notorium aut de eodem constet ex rei confessione extrajudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus, quas praevia inquisitio suppeditaverit. In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 1939 et seqq.

957. Monitio fieri debet ab immediato Superiore maiori per se vel per alium de eius mandato; sed Superior mandatum ne det nisi praevia informatione facti ad normam can. 658, § 1; datum vero mandatum pro prima monitione valeat etiam pro altera.

958. Duae debent esse monitiones, scilicet singulæ pro singulis duobus primis delictis; in delictis autem continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium diērum integrum spatium.

959. Monitionibus Superior addat opportunas exhortationes et correptiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem. Praeterea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio. Singulis monitionibus adiiciatur dimissionis comminatio.

960. Religiosus censetur se non emendasse, si post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanenter persistiterit; post ultimam monitionem sex saltem dies erit expectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

961. Immediatus Superior maior, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum Moderatorem transmittat; hic autem ea tradere debet Pro-

motori iustitiae qui ea examinet et suas conclusiones proponat.

962. Si Promotor iustitiae, cui fas est etiam ultiores inquisitiones quas oportunas iudicaverit peragere, accusationem proponat, instruatur processus, servatis praescriptis canonum in parte prima libri quarti Cœdilicis iuris canonici, congrua congruis referendo. Ex processu constare debet de delictis patratis, de praemissa duplice monitione et de defectu emendationis.

963. Tribunal, diligenter perpensis allegationibus tum Promotoris iustitiae tum rei, si quidem iudicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664, § 2, sententiam dimissionis pronuntiet.

964. Sententia exsecutioni mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata, ad quam tribunalis Praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit.

965. Sed nos in Domino fidimus, intercedente Sancto Patre nostro Hieronymo, numquam ad huiusmodi extrema media procedendum esse. Quare potius singulos Religiosos nostros enixe rogamus ut, sancti Conditoris spiritu imbuti ac gratia Dei roborati, diligenti studio insistant in emendandis suis defectibus et contendant pravas et malas vincere corruptelas, vota professionis suae nec non praescripta Constitutionum exacte servantes; ad hoc ut omne nostrum exercitium redundet in laudem et gloriam Dei sitque proximo nostro pacis, aedificationis et salutis exemplum.

FINIS

## INDEX ANALYTICO-ALPHABETICUS

### A

*Absentia* - a domo, 867, 868; tempore Cap. gen. vel Defin. gen. quae culpa sit, 659.

*Absolutio* - facienda in Cap. gen., 26; a reservatis in Religione, 466, 467.

*Academiae* - nobilium sunt ex nostro Instituto, 3; earum acceptatio, 274.

*Accessus* - ad domum mulierum interdictus, 847; ad domum alumnorum, 909; ad loca publica se recreandi vel reficiendi causa, 850.

*Acta* - *Apost. Sedis*, Commentarium officiale a Procurat. gen. habendum, 195; *Cap. gen.*, 98; *Prov.*, 216, 229, 231; *Colleg.*, 629, 671; mittenda ad Procurat. gen., 227; servanda in archivo, 740.

*Actuarius* - Cap. gen.: quis, 98; vide etiam *Cancellarius*.

*Adhortatio* - vide *Cohortatio*.

*Adiutor* — praefecti sacrarii, 688.

*Administratio* — vide *Oeconomus*.

*Adolescentes* — in cubiculum non intromittendi, 503; familia-

ritas cum illis punienda, 908.

*Adistentes* — *generales*, 162; qui sint et quomodo Def. gen. intersint, 268; et sedeant, 254;

— *provinc.*, 214, 333; quis sit perpetuo *Adsistens gen.*, et quo titulo, 173; quando in Definit. dicent sententiam, 281.

*Adspirantes* — *ad habitum clericalem*, 728; quid primum inquirendum, 729; subiiciuntur Cap. Colleg., 729; qui recipi possint valide, 736; documenta, 731, 734; studia, 744;

— *ad habitum laicalem*, vide *Laici*.

*Aedificia* - erectio, reparatio, 825, 826.

*Aeditus* - vide *Praefectus sacrarii*.

*Agrotantes* - eura, 834 - 844.

*Aetas* - ad Novitiatum, 735 b); ad primam professionem et sollemnem, 777; Magistri Novitiorum, 745; eius Socii, 748; pro admissione orphanorum, 922.

*Aggregatio - ad habitum:* quis et a quo potest aggregari etc., 347; obligationes, 348; an et quomodo Sacerdotes possint aggregari, 350; quae vota emittenda, 351; quoad suffragia, 348, 425, 426; quoad ordinem sedendi, 265; — in spiritualibus, 352.

*Alienatio* - bonorum etc.; vide *Bona*.

*Anniversarium* - nostrorum def. quomodo faciendum, 426; libellus, 627.

*Annus* - *fundationis Ord. nostri, 1* (1528); — *natalis*, 5 (1568).

*Arca* - pecuniae, 311, 650; pro Cancellario gen., 232; vide etiam *Capsa*.

*Archivum* - generale, 46, 231; provinc., 216, 740; Colleg., 649, 740; paroec., 554; domus, 649, 740.

*Artes* - perdiscendae ab orphanis, 920.

**B**

*Barba* - ubi permittitur et quomodo, 821.

*Benedictio* - petenda ab egredientibus domo, 845; mensae, 896; apostolica in art. mortis, 842.

*Benefactores* - preces pro iis, 433; insignes, 644.

*Bibere* - extra mensam..., 584.

*Bibliothecarius* - quis et munus, 703 - 712.

*Bona* - alienanda: quando, a quo, quomodo, 682; *mobilia et*

*immobilia non possidenda*, 516; quae Parocho eveniunt ad quos pertineant, 543; quae professis, 516, 772.

*Bullarium* - privilegiorum Ordinis, 907.

**C**

*Cadavera* - Nostrorum quomodo componantur et sepeliantur, 427.

*Caducus* - a quo deferendus in electione Praep. gen., 115; in aliis electionibus, 128, 129, 240; in Capitulo collegiali, 604.

*Caeremoniae* - vide *Ritus et Magister Caeremoniarum*.

*Calculi* - in electionibus, 240; a solis Scrutatoribus videndi, 97; a quo distribuantur in electione Praep. gen., 115; maiorum Offic., 128; in aliis suffragationibus in Cap. gen., 240; quot calculis utatur Praep. gen. et quando duplice utatur, 88, 241, 242.

*Calendarium* - proprium Ordinis, 399, 407, 429.

*Calices* - et patenae quomodo esse debeant, 443.

*Cancellarius* - *generalis*: quis, 224; quomodo eligatur, 12, 121, 223; qua ex provincia, 12; munus, 225 - 233; est Notarius, 225, 227, 228; pro negotiis ecclesiasticis universi Ordinis, 226; quot libros habeat, 229; quot libros actorum et quibus ostendat, 230; quando aderit Cap. gen. ce-

lebrando, 232; eius Socius, 233; libellum habeat cum descriptione Concionatorum, Confessorum..., 294;

— *collegialis*: electio et officium, 671; quanto tempore duraturus, 672.

*Candela* - in recitatione divini officii, 402.

*Cantus* - Missae, 447; canendi modus, 448; liturgicus 449; obligatio clericorum eum descendit, 450; quando permititur cantus figuratus vel musicus, 451, 452; in nostris ecclesiis, recreationis causa, atque in alienis ecclesiis, 453.

*Capilli* - quomodo gerendi, 821.

*Capitulum* - *generale*; quando et a quo indicendum, 17, 69, 150; quo loco, 70; ordo servandus in rebus proponendis, 238; ratio proponendi, 239; consultationes quomodo definitantur, 243; quid vitanandum et faciendum in dicendis sententiis, 249 - 251; silentium servandum in Cap. gen., 252; egredi a Capitulo non licet, 253; dat formam et subsistentiam ad bonum et rectum regimen, 16; qui ad illud accedere debeant, 18; a quo et quando dimittendum, 150:

— *provinciale seu Definitorium*, 215; ex quibus constet etc., vide *Consiliarii*:

— *collegiale*: quid in eo agendum, quo die cogendum, a quo, quo ritu, 604; quid in

eo praefigendum, 604; quae, a quibus et quo ritu culpae accusandae, 605; quomodo se gerat subditus a Superiori correptus in Cap., 610, 611; quomodo extra Cap., 490; an Superior accusare se debat coram subditis, 612; in eo dicta et gesta non referenda, 617; quid proponendum in Cap., 613; quis suffragio gaudeat, 614; quid a subditis requiret Superior, 616; alia convocatio ad negotia executienda, 615; preces praemittendae, 604; et dicendae in fine, 618; cfr. 809, 810; pro admittendis ad habitum, 729; ad professionem, 775, 778; ad *Ordines*, 809.

*Capsa* - pecuniarum, 650, 678.

*Capsula* - pro suffragatione Votarium infirmor., 85.

*Castigatio* - corporis, 579.

*Castitas* - quomodo servanda, 502, 503; quid de adolescentibus in cubicula intromittendis, 503; qua ratione corripendi ac plectendi contra eam peccantes vel suspecti, 506, 507; quomodo se gerant Nostris cum utentibus nostra consuetudine, 508.

*Casus* - reservare ad quem spectet etc., 161; liturgicus et moralis, ubi et quando solvendus, 532; discussio pro confessarii, 533.

*Cathechesis* - et historia ecclesiastica Nostris commendan-

tur, 663; pro conversis et familiaribus, 633; cursus ut efformentur iuvenes idonei ad docendum, 663; pro convictoribus, 901, 904; pro orphanis, 917.

*Cella* - an, quando et quomodo licet alterius ingredi, 592; nocturno tempore, 595.

*Censurae* - adhibendae a Praep. gen., 160.

*Chorus* - Litaniae quando in eo canenda, 401; an et quando liceat abesse, recedere et quomodo, 402 - 405; ostia claudenda et custodienda, 402; quot candelae in recitandis horis diurnis, 402; quando caput inclinandum, quando standum et genuflectendum, 405; quis corrigat errantes in choro, 405; vide etiam *Officium divinum*.

*Cibi* - qualitas et quantitas; singularitas evitanda, 584; (efr. 632).

*Cingulum* - coriaceum signum probationis, 743; nigrum pro adspirantibus, 823.

*Clausura* - servanda, 827; papalis quam domus partem afficiat, 828; ad quem spectet eam praescribere, 829; an liceat admittere mulieres, 830; quid de convictis alumnorum, 831, 832; quid cavendum clausrae custodibus, 833.

*Clavis* - Tabernaculi quomodo et a quo custodienda, 435; auro vel argento obducenda, 446;

Olei infirmorum, 436; Reliquiarum et ecclesiae, 635; domus, 635, 719, 725; archivi Ordinis, 231; archivi domus, 649; archivi paroecialis, 554; capsae pecuniarum, 650; Bibliotcae, 708; supellectilis sacrae, 699.

*Clerici* - communicantes superpellicium induant, 471; ad quid teneantur professi, 636; ad horas canonicas quando, 395; ad officium B. M. V., 398; quid requiratur adspirantibus ad nostrum habitum, 732, 733; professi et studentes quoad theologiam et casus solutionem, 532; promovendi ad ordines, 807; in qua dioecesi, 808; approbandi a Cap. colleg., 809; subiiciantur examini, 810; quomodo se gerant quoad Superiorem corripientem, 490, 636; literae dimissoriae quibus concedi possint, 811; notitia emissae professionis sollemnis a Superioribus maioribus transmittenda ad Parochum baptismi, 789; recepti subdiaconatus, 813; secundae probationis quomodo educandi etc., 636.

*Coadiutor* - Parochi: officia et obligationes, 550, 551.

*Coenandi* - licentia extra domum nocte non concedenda, 846.

*Cohortatio* - a Praep. gen. initio Cap. gen., 27; in fine, 35; a Visitatore in principio et fine visitationis, 302, 316; a

Superiore in Cap. colleg., 605, 626; in triclinio, 640.

*Collaria* - palliorum, 815; indusiorum, 816; adspirantibus non permittenda, 823.

*Collegia* - adolescentium sunt ex nostro instituto, 3; acceptatio cum duabus Definitorii partibus, 274; licentia in scriptis ab Ordinario, 336; episcopali vigilantiae subsunt, 343; idem de Orphanotrophis, Oratoriis etc., 344.

*Collocutiones* - cum mulieribus quae, quando et quo loco fieri possint, 504; quid de collocutionibus Novitiorum cum externis, 751; quae post prandium et coenam, 853; inter Fratres vel cum saecularibus, 600, 602; in choro, 402.

*Colloquia* - quomodo sint inter religiosos et quae vitanda, 493.

*Comedere* - cum saecularibus an et quando liceat, 585; an externi possint vocari ad nostram mensam, et quomodo recipiendi, 586; extra mensam comedere nemo audeat sine obedientia, 584.

*Comitia* - generalia: quibus et quot Vocalibus et Sociis constituta, 10, 44, 50; munus, 11.

*Commissarii* - ad causas peculiares a quo mittendi, 155.

*Commissi* - seu Oeconomi Orphan., 428, 914, 923.

*Communio* - quotidiana suadenda, 470; etiam inter alumnos, 901, 915; eam omnes acci-

piant a Sup. feria quinta hebdom. Maior., 473; prima Communio Orphan., 917; Communionis spirit. frequentia, 470, 726.

*Commutatio* - rerum an et quando prohibita, 521.

*Concio* - habenda in Cap. generali, 22.

*Concionator* - officium et praestantia; quis concedat facultatem, 555; eius dotes et studia, 556, 563; virtutes, mores, exempla, 559; professio fidei emitenda, 558, 621; munus, 559; an, quando, quid possit publicare in suggestu, 562; quid evitandum, 563, 565; qualem methodum teat, 564; quomodo se gerat quoad Principes etc., 566; quando a concionibus abstineat, 567; brevitas in dicendo, 568; quando socius a Super. assignetur, 569; an liceat pactionem facere de elemosyna, et quomodo se gerat pro expensis etc., 570, 571; exemptiones a choro et triclinio, 572, 573; an liceat concionem habere monialibus, 574; adolescentes in concionibus exerceantur in triclinio, 575; quid de concionatore qui dixerit et non fecerit, 576; an et quando aggrediatur munus oblatum a Praelatis etc., 577; quando et a quo revocari possit facultas concionandi, 578.

*Confessarii* - eligendi a Super. pro

subditis, 466, 630; an possit subditus eligere alios confessarios inter non designatos, 467; extraordinarii quando vocentur, 468, 630, 771; eligendi in Defin., 527; examen, 528; alia requisita, 529; professio fidei, 621.

*Confessio* - peccatorum, quando facienda, 464; generalis totius anni, 469; an Superior possit excipere subditorum confessiones, 465; saecularium in cella prohibita, 535; mulierum in ecclesia, 536, 537; orphanorum, 915; puerarum orphanarum, 930; monialium, 538.

*Confirmatio* - electionum maiorum Officialium, 130.

*Conscientia* - examen vel discussio, 463.

*Consiliarii* - quinam eos habere debeant eorumque consilium exquirere, 327:

- *generales*, quando, quot et qui eligendi, 328, 329; an possint eligi non vocales, 331; non sunt per se Officiales neque dignitarii, 331; fidelitas, 332; quomodo se gerant in consultatione et extra, 333, 946, 947, 953:

- *provinciales*: qui sint, 214, 215; quando convocandi, 333; quomodo eligendi in rebus ordinariis, 333; quomodo se gerant de consilio rogati, 334; dotes, 332, 334:

- *locales*: quot sint, quomodo et quando vocentur, eorum

munus, 622; sunt praesertim Vocales, 623; quanto tempore durent et a quo diligantur, 623. *Consilium* - Superioris curiose non perscrutandum, 488.

*Constitutiones* - origo, praestantia, approbatio, 382, 383; an et quando inducant culpam mortalem vel veniale, 384; poenarum usus pro transgressoribus, 385, 386; quid de culpis in Constitutionibus non comprehensis, 387, 646; quid si emerserit dubitatio vel obscuritas, 388; an et quando decreta Cap. vel Def. gen. referantur in Constitut., 389; legenda feria sexta, 390; Laicis explicandae, 391; quid de novis Constitutionibus, 393, 394.

*Consuetudines* - a saeculo allatae evelledae, 362.

*Contestatio* - a Cancell. in Cap. gen. facienda, 28.

*Controversia* - in suffragiis ferendis a quo definienda, 89.

*Convalescentes* - 843, 844; vide etiam *Aegrotantes*.

*Convictores* - eorum dominus a nostris non adeundae, 909; quoad sacramenta et sepulturam, 907; munera ab eis non accipienda, 910; disciplina, 901 - 904; vide *Collegia, Cathesis, Studia*.

*Convivere* - apud saeculares etc., vide *Pernocare*.

*Convocatio* - et celebratio Cap. gen., 16 - 37; Cap. provincialis, 215 - 218; *Definitorii*,

266 - 295; Cap. collegialis, 604.

*Cooperator* - vide *Coadiutor*.

*Corona* - B. M. V. vide *Rosarium*.

*Cubicula* - frequenter invisenda a Sup., 517; quomodo se gerat subditus cum Sup. ingrediente, 518; parietes, 519.

*Culpa* - levis, 940; gravis abesse a domibus tempore Cap. et Def. gen., 659; maior, 941; accusanda in Cap. gen., 32; in Cap. colleg., 604 - 612; vide *Constitutiones et poena*.

## D

*Debita* - non facienda, 658, 681; quid de debitis personae moralis, aut singuli Religiosi, 687; poenae, 687.

*Decreta* - S. Sedis, Capit. gen., Def. gen. imprimantur et ad omnium notitiam perveniant, 390; quibus verbis conficiatur decretum electionis Praep. gen., 113; vide *Lectio*.

*Definitores* - quinam et quot sint, 50, 266 et seqq.

*Definitorium* - generale a quo convocandum et dimittendum, 150, 266; quot et quibus votis constet, 266; quomodo substituantur *Definitores* si desint in Def. gen., 269, 270, 721; quando Vocales demortui aut perpetuo impediti, 275; iuramentum de secreto praestandum, 276, 277; ordo in dicendis sententiis et rebus tractandis, 281; quid praestandum post iuramen-

tum, 278, 279; quis proponeat, 280; Superiores locales quomodo eligendi, 282; qui, 289, 291; quando et quo ordine, 284; qua maiestate, 285; quanto tempore duratur, 286; quando eligantur Superiores in non sua provincia, 289; qui non eligendi sint Superiores, 291, 292; Directores scholarum... quomodo eligendi, 288; Vicesuperiores et Parochi quando eligendi in Def., 293; quid cavendum in designandis subditis, 295; quando subditi mutandi in Defin., 293; cui incumbat onus mutationes factas servandi, 295.

*Defuncti* - vide *suffragia*.

*Delicta* - etiam minima non dissimulentur, 385; quot requirantur ad dimissionem Religiosorum a votis soll., 955.

*Dignitates* - maiores, qua lege a Cap. gen. eligendae, 12; quae et quot sint, 254, 255.

*Dimissio* - Religiosorum a votis simpl., 945 - 951; causae dimissionis, 948; manifestandae reo, 949;

- a votis sollemn., 952 - 965; processus instruendus, 952; quot monitiones praemittendae, 958; quibus exhortationibus et correptionibus praemissis, 959.

*Director* - spiritualis Orphanorum, 916; directores scholarum, hospitalium, etc., quando eligitur, 288.

*Disciplina* - eius neglectus puniens, 385, 945.  
*Discreti* - vide *Socii*.  
*Divinatio* - rerum Cap. gen. etc., non permittatur, 489.  
*Doctrina christiana* - a Nostris complectenda et promovenda, 4, 547; Laicis tradenda, 633; Orphanis, 917; Seminaristis et Convictoribus, 901, 904; a Parochis explicanda, 547; vide *Cathechesis*.  
*Documenta* - adspirantium ad habitum, 731, 734; vide etiam *Decreta Cap. gen. et prov.*  
*Domestici* - vide *Hospites*.  
*Domicilium* - non relinquendum, 858.  
*Domus novae* - recipienda, 335, 346; satius providere fundatis, quam novas recipere, et cui proponenda, 335; qui consensus requiratur in scriptis, 336; quid præscribat ius commune, 337; quae cattelae adhibendae, 338, 340; ubi praesertim fundandae vel non, 339; nullus ex nobis adeat habitatus nova loca sine rescripto S. Sedis, 341; Orphanotrophia praeligenda, 342; Hospitalia et similia subsint Visitationi Ordinarii et etiam scholae, oratoria etc., 343, 344; supprimi non potest domus relig. sine beneplacito S. Sedis, 345; quomodo et a quo recipienda extra Def. gen., 346;  
— *Novitiatu*s, a quo designanda et canonice ergenda, 742.

*Dona* - non accipienda nec danda a viatoribus et hospitibus, 875; a Visitatoribus, 326.  
*Donationes* - non permittande nisi etc., 684, 516.  
*Dubitatio* - vide *Interpretatio*.

**E**

*Ecclesia* - qui nitor in ea effulgeat, 435; Sacrosanctum Christi Corpus in ea asservandum et quando renovandum, 435; Oleum infirmorum quomodo custodiendum, 436; quid de vestibus sacris etc., magni pretii, 439; supellex, 441, 445; quid vitandum in ornandis ecclesiis, 446; quomodo vestiendum et ornandum Tabernaculum, 446; nihil ab externis accipiendum inscio Superiore, 446; vide etiam *Missa*.  
*Effigies* - S. Hieronymi P. N. in omni domo sit et in triclinio picta, 892, 928; Iesu Christi crucem gestantis, 166, 826.  
*Egredientes* - domo: quid servandum in egressu et regressu, 845; qua hora revertendum, 846; quid cavendum a Sup. in concedenda facultate, 848; an liceat egredi per ianuam ecclesiae, 849; quomodo se gerant Nostri extra domum, 850; quo vestitu incedant, 851.  
*Electiones* - cum duabus ex tribus partibus votorum: Praep. gen., 95, 113; ali Definitori

gen. officiales extra Capit., 93; alii Officiales maiores in Defin. loco defunctorum vel impeditorum, 270; acceptatio domus, collegii, orphan., acad. etc., 274; Vocalis in Def. loco Praep. gen. impenititi suffectus, 271;  
— cum maiori parte votorum: alii Officiales Definit. in Cap. gen., 95; Vocales Cap. gen., 41; Socii, 55; Superiores locales, 284, 285; Vocales suffecti in Definit., 269; Vicesuperiores, 664; Parochi, 293; Cancell. colleg., 671;  
— in universum: lectio de requisit. eligendorum praemittenda, 74; quid de suffragii manifestatione, 78; quando suffragium est nullum, 79; libertas et secretum in electionibus, 79; an liceat schedam in urnam illatam revocare etc., 80; vel alteri suffragii ius demandare, 82; non fiant noctu, 81; quid de electione inchoata et nondum publicata, 83; quid in casu morbi alienius Vocalis in domo electionis, 85; an liceat renuntiare vel abstine-re a voto activo, 86; quid si elector exeat comitio, 87; an liceat et quando Praep. gen. uti duplii calculo, 88, 241, 242; cui munus dirimendi controversias, 89; quid faciendum ab electo ad aliquod officium, 90; confirmatio  
*Eleemosynæ* - in Orphan. etc. in libello adnotandæ, 524; mis-sarum, 651; in ecclesiis, 691; pro domo, 716; pro concepcionibus, 571; Orphani raro mit-tantur ad eleemosynas corrogandas et numquam soli, 922.  
*Emendatio* - eius defectus et poenae, 954; quando censeatur apta ad scandalum vitandum, 959; quando Religiosus censeatur se non emendasse, 960: vide etiam *Dimissio*.  
*Epistolæ* - mittendae et recipiendae per Superiorem, 877; ad quos libere mitti possint, 886, 887; quomodo auspicandæ, 878; subscriptio, 879; Novitiorum, 750: Virorum illustrium, Universitatum etc., in archivo asservandæ, 888.  
*Erectio* - domus exemptæ requiri-tur beneplacitum S. Sedis et consensus Ordinarii, 336;

*Collegii, Orphanotrophii, etc., licentia scripta Ordinarii, 336.*

*Errantes - in choro a quo corrigendi, 405; Novitii a minimis erroribus se abstineant, 747.*

*Eucharistia - vide Communio et Ecclesia.*

*Examen - Postulantum, 729; Studentium, 803; Novitiorum et professorum, 778; ordinandorum, 810 - 812; quotannis per quinquennium a novis Sacerdotibus subeundum, 805; Parochorum, Concionatorum, 556; Confessariorum, 528; conscientiae, 463.*

*Exolastrati - 238.*

*Excommunicatio - latae sententiae, 386: vide Censurae.*

*Excusationes - in correptionibus non afferantur, 490, 610.*

*Exemptiones - quae et a quibus concedi possint, 392; pertinentes ad Definit., 274; perpetuae a quo concedendae, 392; Magistrorum et Studentium, 798; Procuratoris gen., 180; Praep. et Vic. gen. a culpis dicendis eorum Visitatore, 318: vide Concionatores et Chorus.*

*Exequiae - vide Suffragia.*

*Exercitia - spiritualia pro saecularibus, 662; a Novitiis praemittenda, 784; quotannis habenda, 634; in poenam, 942.*

*Expensae - ordinariae et absente*

*Superiore, 658; extraordinae, 212, 683.*

*Extranei - non consulendi de rebus Ordinis, 501: vide Sacrales.*

*Extrema Unctio - vide Oleum infirmorum et Ecclesia.*

## F

*Fabricae - erigendae, 824; reparandae, 825; conditiones, 826.*

*Familiaritas - cum mulieribus, 695; cum alumnis, 908; suspecta, 307: vide Castitas, colloquia, adolescentes.*

*Femoralia - 816.*

*Feria quinta - in coena Domini, quid faciendum, 473.*

*Feriarum tempus - Professoribus et Studentibus, 856, 857.*

*Finis Ordinis nostri - 2, 3, 4, 353; quomodo obtinendus, 354.*

*Formula - primae et secundae professionis, 787: vide etiam Iuramentum.*

*Fundationes piae - 213 (a, b).*

*Funera - pro nostris Fratribus, 424 - 428; fidelium in nostris ecclesiis, 434: vide etiam Anniversarium.*

## G

*Galericulus - 815; adspirantibus laicis non permittendus, 823.*

*Gratiae et miracula - S. P. Fundatoris etc. notanda, 660.*

*Gymnasia - sunt ex nostro Instituto, 3.*

## H

*Habitus - forma, materia, color, 814 - 820; Sacerdotum et Clericorum, 815; Novitiorum, 763; Laicorum, 817; probandorum et aspirantium, 823; a quo concedendus, 149.*

*Homilia - Parochi, 545.*

*Honor - inter Nostros, 498; erga eos qui Praep. vel Vic. gen. potestate abierint, 497.*

*Horae canonicae - vide Officium divinum.*

*Horologia - aurea, etc. vetantur, 520.*

*Hospites - saeculares: an recipi possint, 656; inserviendi causa, 657;*

*— Religiosi: adventantes quomodo se gerant, 861 et seqq.; literas obed. ostendant, 859; obligationes, 861, 876; quomodo recipiendi, 869, 876; locus pro eis, 870; quoad suffragia, 425.*

## I

*Ianitor - quis, officium, obligationes, 713 - 725; Ianitor Cap. gen., 102.*

*Ieiunium - consultur feria VI, 581; quae praeter ecclesiastica a Nostris observanda, 580.*

*Ientaculum vel Antecaenum - Orphanis praebendum, 924.*

*Imago - S. Hieronymi Aem. in nostris domibus, 928; imagines in cubiculis, 519.*

*Immunitates - 392; vide Exemptiones.*

*Index - Ecclesiae, 445; cubiculi, 521, 522; saerarii, 689, 690; bibliothecae, 704; cfr. 626.*

*Indulgentia - plenaria obtainenda pro Cap. gen. 72; a Praedicatoribus non publicanda sine licentia Superioris ecclesiae, 562; in articulo mortis, 842.*

*Indusia - 816.*

*Infirmi - vide Aegrotantes.*

*Inobedientes - puniendi et quomodo, 492.*

*Interpretatio - Regulae, 388.*

*Inventarium - faciendum in decessu Rectoris Orphan., 428; documentorum paroeciae, 554; saerarii, bibliothecae, supellectilium omnium, 626; vide etiam Index.*

*Itinerarium - a Nostris quando recitandum, 860; a Vocalibus et Sociis in fine Cap. gen., 36.*

*Iuramentum - novorum Vocalium, 30; Sociorum, 31; ante electionem Superiorum maiorum, 77; a Praeside, a Scrutatoribus et ab electoribus ante electionem Praep. gen., 108 - 110; a Praep. gen. ante elect. maiorum Officialium, 124; a Scrutatoribus, 125; a caeteris electoribus, 126; in Def. 276, 277; in elect. Sociorum, 55; novi Praep. gen., 119; quae facienda ante primam professionem, 741, 779, 780.*

**L***Lacerna* - 816.

*Laici* - eorum officia, 5, 726, 727; abstineant a strepitu silentii tempore, 594; pallium induant in S. Communione, 471; Officium B. M. V. recitent si legere noverint, sequens Rosarium, 396; eis expliquerentur lingua vernacula Constit. et Decreta ad illos spectantia, 391, 669; quoad probationem adspirantium, 737; quo praecepto interdicuntur a promotione ad habitum clericalem et ad Ordines, 783; novitiatum in domo canonice erecta peragant, 767.

*Lampas* - in dormitorio alumnum, 901; orphanorum, 924.*Largitiones* - quando, qua mensura et a quibus permittuntur, 684.

*Lectio* - ad mensam, 897; Constitutionum, decretorum S. Sedis, Cap. et Praep. gen., 390; regulae Convictorum semel in mense facienda, 901; brevis medit., in prima parte missae in Orphanotrophis, 916.

*Levitatis et vanitas* - in ornandis ecclesiis vitanda, 446.*Lex* - eligendi maiores dignitates, 12.

*Libellus* - Cancell. gen., 294; Superioris, 641; missarum et anniv., 627; Aeditui, 689; de orphanorum regimine a Recitoribus habendus, 927.

*Liber* - actorum Cap. gen., vide

*Cancellarius gen.*; Colleg., 671; in eo quid adnotandum a Visitatoribus, 319; a Superioribus, 660; ubi custodendus, 661; missarum manuallum, 651; libri accepti et expensi, 650, 652; professionum, 789; Bibliothecarii, 707; in virtute sanctae obedientiae libri non alienandi nec transferendi sine debita licentia, 705, 711, 865; libri vel libelli non edendi nisi..., 806.

*Litaniae* - lauretanae post orationem recitandae, 23, 455; in sabbatis, vigiliis et festis B. M. V. canendae, 401.

*Literae - testimoniales* pro adspirantibus, 729, 730; post decimum quartum annum ab Ordinariis requirendae, 731; a Rectore Seminarii, Collegii, a Superiore maiore alius Religionis pro diversis casibus, 732; pro Clericis in sacris constitutis, 733:

- *dimissoriales* pro Ordinandis, 811;
- *patentes* pro viatoribus et hospitibus, 859.

*Ludi* - qui interdicuntur, 854; cum saecularibus, 912; externis in nostris claustris non permittuntur, 722.

*Lumina* - quando extingueda, 596.**M**

*Magister - Novitiorum* 460; electione, 745, 746; officium et obligationes, 747; iura, 747,

852; circa confessiones Novitiorum, 771;

- *studiorum*, 797 - 800;
- *caeremoniarum*, 411, 412;
- *rerum spiritualium*, 668.

*Matris Orphanorum* - missa et officium, 399.*Meditatio* - vide *Oratio mentalis*.*Mensa* - prima et secunda, 893 -

- 895; silentium et preces, 896; lectio, 897: vide *Saeculares et Comedere*.

*Merita* - ad Vocalatum quae servanda, 45 - 47; vide *Vocales*.*Ministri* - vide *Officiales moniales*, 726.

*Missa* - quando celebranda, 407; S. Hieronymi P. N. et B. M. V. Matris Orphanorum, 399; in festo S. Petri martyris, 400; missae novae, 409; quoad ritus et caerem., 410 - 413; non in eccl. Monialium nisi etc., 414; in aliis eccl. onera missarum non recipienda, 416; onera perpetua, 417; numerus excedens, 418; inservientes, 419, 422; missa de Spiritu Sancto semel in mense, 429; Comitiorum tempore, 71; sollemnisi, 412, 413; pro gratiarum actione, 400; pro defunctis, vide *Suffragia*.

*Moniales* - confessiones, 538; conaciones, 574.*Monita* - spiritualia, 353 - 380.

*Monitiones* - pro Religiosis dimittendis, 954, 956, 961; a quo fieri debent, 957; quot, 958;

quo intervallo facienda, 958 - 960.

*Monitor* - in Cap. gen. nominandus, 21.*Mors* - Nostrorum statim communicanda aliis Superioribus, 423.*Mortificatio* - 582, vide *Castigationis corporis*.*Mulieres* - familiaritas, 503, 695; colloquia, 504; intra clausuram non admittendae, 830.*Mundities* - in Novitiis, 758; in rebus omnibus, 727.*Munera* - non procuranda, nec accipienda, nec elargienda, 515; efr. 932; vide etiam *Dona, Largitiones*.*Munusculum* - a Novitiis non recipiendum, nisi..., 750.*Murmurationes* - fugiendae, 599.*Musicus* - vide *Cantus*.*Mutationes* - locorum, 480, 481; Superiorum, 283; subditorum, 290, 295.**N***Natalis dies* - Ordinis nostri, 5, 400.*Negotium* - non aggrediendum nec promovendum praeceptum in rebus saecularibus nisi..., 483.*Notarius* - vide *Cancellarius gen.**Novitates* - non inducendas, 631.

*Novitiatus* - designatio 742, 767; per annum perduret, 770, 778; prorogatio, 776; institutione et praestantia, 745; quando admissio est invalida,

735; illicita, 736; quis admittere potest, 149.  
**Novitii** - inquisitiones et requisita, 729 - 734; probatio et exercitia ante vestitionem, 743; institutio, 745 et seqq.; non communicent eum professis, 751; bona, 772; confessio, 771; soli numquam relinquuntur, 761; correptio, 765, 766; corporalia exercitia, 764; collocutiones, 751; infirmitas, 769; cella et oratorium, 768; progressus in virtutibus, 756; refectorium, 765; vestitus, 743, 763; obedientia, 755; ultra quadragenarii, 158, 738; ultra quinquagenarii a quo recipiendi, 738.

**Nuptiale** - ad convivium accedere  
Nostri prohibentur, 585.

**O**

**Obedientia** - praestantia et executio, 474 - 501; quomodo facienda et non facienda, 476 - 479; ad quem spectat praecepere in virtute s. obed., 106; pro Novitiis, 755; nihil a Superiore petendum importunis precibus, 479; quid de excusationibus languentium virium, 486.

**Occasiones** - 502; vide etiam *Castitas*.

**Oeconomus** - designatio et officium, 673, 674; generalis et provincialis ad triennium, localis ad annum, 675; distin-

ctio a munere Superioris, 676; dotes, 677; quoad debita onerosa, 681; obligaciones, 685; orphanorum, 914; pena, 687.

**Oeconomus spirit.** - seu Vicarius, 552; constitutio, 553, 554; iura et obligationes, 554.

**Officiales-maiores**: quomodo eligendi, 12, 127, 131; quando a munere cessare censeantur, 92;  
— *minores* seu ministri, 688 - 727.

**Officium-divinum**: quando in choro recitandum, 397; quomodo, 403 - 405; *parvum* B. M. V., 396 - 398; *S. Hieronymi, Matris.orph.*, 399; aliorum Sanctorum quorum reliquiae etc., 406.

**Oleum infirmorum** - 436, 642, 841.

**Onus meum leve** - Inscriptio Stemmatis Ord. nostri, 166.

**Oratio mentalis** - 454 - 463; non omittenda, eius praestantia, 454; bis in die, 378, 455; quomodo facienda, 458, 459; in Cap. gen., 23, 24; cf. r., 726, 752, 800.

**Oratorium** - pro Novitiis, 768; commune, 598; pro saecularibus instruendis, 662; in collegiis, orphanotrophis etc., 456.

**Ordinarius** - loci, quae loca nostra visitare possit, 343, 344.

**Ordines** - sacri, 807 - 813; ad quem spectat promovere, 149; dimissoriae, 811 - 813; prohi-

bentur etiam minores durante novitiatu, 811.

**Ordo - noster**: a quo excitatus et unde nomen habet, 1; finis, 2, 4, 353; quae instituta complectatur, 2, 4; quibus personis constet, 5;  
— *rerum proponendarum* in Cap. gen., 234 - 253; in Def. gen., 279 et seqq.;  
— *sedendi* - vide *Sedendi*.

**Organa** - ubi pulsanda, 453.

**Orphani** - 913 - 928.

**Orphanotrophia** - acceptatio, 343, 346; subsunt vigilantiae episcopali, 343.

**P**

**Pagellae** - in elect. Sociorum, 55; et maior. Off., 85, 106.

**Pallium** - laicorum, 471; vide *Habitus*.

**Paramenta** - sacra, vide *Ecclesia*.

**Parochus** - a quo designandus, 149, 293, 540; qualis esse debeat, 541; quoad bona recepta intuitu Paroeciae vel non, 543; eleemosynas, 544; homiliam, 545; doctrinam christ., 547; quinque libros paroeciales, 548; erga aegrotos, pauperes, 548; est amabilis, 549; Coadiutor, 550, 551.

**Paroecia** - vacante, 552; vide *Parochus*.

**Patronatus** - 344.

**Patronus (S)** - initio mensis diligendus, 363; orphanorum, 922.

**Paupertas** - votum, 509 - 526;

quid permittat in communi, 510 - 512; pecuniae usus, 513, 514; munera non recipienda nec commutanda, 515 - 520; bona mobilia et immobilia etc., 516; cubicula a Superiore invisenda, 517, 518; cubiculorum parietes nudi sint, 519; index rerum, 521, 522; libri, vestes, etc. nec vendenda nec alienanda etc., 523; quid de eleemosynis in Orphanotr., 524; supplex communis, 525; piae donationes, 516; deposita pretiosa etc., 523, 653; occasionem violandi non praebant Superiores, 526.

**Pax** - interna, 369; cum Parochis saecularibus, 434.

**Pecunia** - 311, 650; depositum non permittendum nec accipendum nisi etc., 523, 653; pro missis etc., 417, 751.

**Pernoccare** - apud saeculares Novitiis non conceditur nisi..., 769; Religiosis, 855, 874, 933.

**Philosophia** - studia, 796, 797.

**Pileum** - 815; quadratum (biretum), 815.

**Placet** - verbum assensus in rebus definiendis, 244.

**Poculenta et esculenta** - in propria cubicula non inferenda, 519.

**Poena** - usus apud nos, 385; non incurrienda ante declaracionem, 386, 938; in celebrantem festinanter, 421; in transgressores, 936; in peccantes contra castitatem, 506, 507;

iuxta culpam imponenda, 937; instituta in aedificationem, non in destructionem, 937; privatio loci et vocis quid importet, 939; levis, 940; maioris ponderis, 941; gravioris culpae, 942; in subditos delinquentes contra Superiorum, 492; contra Fratres, 499; in detorquentes in pravum sensum etc. dicta et facta Super., 492; a poenis immodicis Nostri abstineant, 921.

**Postulantes** - seu Probandi, 744; Laici, 737.

**Potestas** - summa, praecipua et secundaria penes quos, 273; ordinaria Provincialium, 206.

**Praeceptores** - seu professores, lectores, magistri, 621, 798, 799, 800.

**Praefectus** - Sacrarii, 430, 688, 702; studiorum 903; in convictis, 901, 906.

**Praepositus - generalis**: eligendus a Cap. gen., 15; cum duabus e tribus partibus, 95, 113, 116; quamdiu duret, 92, 100; quis eligendus, 100; quomodo, 101-120; qualis esse debet, 133, 138; nominat Monitores, Indicatorem horarum, Ianitores in Cap. gen., 21; indici Officialium subscrifit et valvis affigi iubet, 21; cohortationem facit initio Cap. gen., 27; et in fine, 35; visitatio, 142, 143; residentia, 144; munus in publicandis decretis S. Sedis,

145; in exequendis decretis Cap. et Defin. gen. 146; auctoritas, 148; in admittendis ad habitum, professionem et S. Ordines; in nominandis Parochis, Concionatoribus, Lectoribus, Confessariis; in delegandis aliis ad professionem recipiendam, 149; in convocando et dimittendo Cap. et Defin. gen., 150; in declarandis Constit., 150; in transmittendis subditis de loco ad locum, 151; in substituendis Superioribus, 152; in assumendo Sacerdote a secretis, 153; in communicanda, revocanda etc., auctoritate Prov., 154; in substituendis Prov. demortuis aut impeditis, 155; in transigendis negotiis gravioribus Cap. gen. aut Defin. non reservatis, 156; in poenitentia exigendis pro delictis, 157; in alienandis rebus, debitis contrahendis, expensis extraordinariis faciendis, 157; in dispensando cum Novitiis ultra quadragenariis, 158; in ordinationibus et statutis faciendis Visitationis tempore, 159; in praecipiendo subditis in virtute s. obed. et censuris adhibendis, 160; in reservatione easum etc., 161; in Proconsiliariis eligendis, 162; in re sacra facienda a duobus clericis assist., 164; quo titulo honoretur a subditis, 166, 494; quo sigillo utatur, 166; quot cubieula etc.,

et quo victu, 165; quando tenetur S. Sedem de suo munere informare, 167; quando congregare possit Cap. vel Defin. prov. loco Def. gen., 215; quibus rationem impensis et accepti reddere teneatur, 167; primus ubique se-deat, 260; quot calculis utatur et quando duplicei, 88, 241, 242; quomodo iuret vix electus, 119; quid si moriat durantibus comitiis, 171; suffragium ubique ferre potest, 60.

**Praepositus - provincialis**: quis, 14; quomodo eligatur, 121, 207; quis eligi nequeat, 14, 208; duret ad triennium, 15, 207; auctoritas, 209; circa statuta etc., pro bono Prov., 210; personas suaes Prov. alio designandas, 211; licentiam Cap. colleg. et Super. localibus pro expensis extraord., 212; pias fundationes in nostris eccl., 213; quando convocare potest Def. et Cap. prov. eique praeesse, 215; visitatio domorum, 217; munus in referendo Praep. gen. de rebus Prov., 218; regularis disciplina promovenda, 220; residentia, 219; potestas ordinaria, 13, 206; quomodo sufficiatur si obeat vel alia de causa officio cedat, 221; quo sigillo utatur, 222.

**Praeses - Cap. gen.**: actis electionis subscrifit, 98; cessante Praep. gen. praesideat, 104;

iuramentum, 108; electione peracta decretum conficit, 113; et promulgabit, 114; ad altare sigillum Praep. gen. tradet et ab officio cessabit, 119;

— *Cap. prov.*, 215.

**Preeces** - ad mensam, vide Mensa; fundenda pro Cap. gen., 71; pro Defin. gen., 272; post orationem mentalem tempore Cap. gen., 23, 24; vide etiam *Oratio mentalis*.

**Processus** - vide Delicta et *Missio*.

**Proconsiliarii gen.** - quando elegendi, 162.

**Procuratio** - suffragiorum directa vel indirecta vetatur, 76.

**Procurator generalis** - quis et quomodo eligatur, 12, 121; immunitas a subiectione Superiorum localium, Provincial. et a communibus observantiis, 180; ius habendi socium laicum professum, 181; auctoritas et mandatum, 182; quae eius subiectio Visitatoriis, 183; in concessionibus Ap. Sedis et contractibus externis in Curia Romana inveniendis pro toto Ordine nostro, 184, 186; circa indulgentias impetrandas, 187; occasione Cap. gen., 72; quomodo agat cum nostris Romanis potentibus, 188; quomodo sententiam dicat rogatus a Patre gen., 189; munus circa statum Ordinis, 190; in documentis pontificiis,

fundationum et debitibus contrahen., 157, 191; in commonefaciendo Patre gen. 192; in custodiendis rescriptis Ap. Sedis, 193; in indice conficiendo et describendo summam negotiorum, 194; circa docum. pont., 195; cum iis qui negotia ei commiserint, 196; circa pecuniam ei traditam, 197, 198; qua poena mulctetur si petat etc. a S. Sede literas Ordini contrarias, 199; circa collationem Vocalatus, 200; si docum. auferat ex archivo, 201; Romae resideat, 202; quo honore gaudeat, si ad aliam dignitatem maiorem non eligatur, 203; quomodo subrogetur si deficere contingat, 204; quo sigillo utatur, 205.

**Procuratores** - in electione Sociorum unico suffragio utaatur, 62.

**Professio - fidei**: emittenda a novis Vocalibus, 30; a maioribus Officialibus, 131; a Concionatoribus, 558; a Superioribus, Confessariis etc., 621;

- votorum simplicium et quae praemittenda, 777-780; emissio et prorogatio, 785; formula et ritus, 787, 788; documentum, 789;
- votorum sollemnium: emissio et prorogatio, 785; quid praemittendum, formula, ritus,

786 - 788; documentum, 789; notificanda Parocho baptissimi, 789.

**Professorium** - seu secundus novitiatus, 636, 791.

**Promotor** - iustitiae, a quo nominandus, 953, 961, 963.

**Propinatio** - in bibendo prohibita, 584.

**Propositiones** - in Cap. gen. quomodo praesentandae, 236, 237; negotiorum difficultatis involutae quomodo solvendae, 245, 248; quomodo elegantur Vocales ad eas dirimendas, 247.

**Provincialis** - electio, 155; quis et quanto tempore sufficiat Provinciale, 221; quo loco sedeat durante officio et quo suo munere defunctus, 261.

**Provinciae** - divisio, 6; fines a quo mutari possunt, 6; unde constet eius extensio, 7; eius sint domus trans mare Atlanticum, 8; creatio novae Prov. quomodo facienda, 9; cuiilibet conferatur una ex Dignitat. maior., 12; singulæ habeant suum Provinciale, 13.

**Provincialis** - vide *Praepositus provincialis*.

**Protectores** - Orphanorum: prudenter cum iis agendum, 342, 922.

**Puellæ** - Orphanae, 929 - 935; ab eis munera non accipienda, 932.

**R**

**Rectores** - Collegiorum et Semin., 899 - 912; Orphan., 913 - 928.

**Recursus** - ad S. Sedem in devolutivo, 549; contra decretum dimissionis, 950.

**Refectorium** - vide *Triclinium*.

**Religionis** - superioris cursus instituendus, 663: vide *Cathexesis*.

**Reliquiae** - insignes, 406; ubi quomodo et quando exponendae, 406, 437; non subtrahendae, 439.

**Requisita** - ad validitatem novitiatus, 735, 770; ad liceitatem, 736, 739; ad professionem, 737, 777; ad vocalatum, vide *Vocales*.

**Reservatio** - vide *Absolutio* et *Casus*.

**Residentia** - Praep. gen., 144; provincialis, 219; Proc. gen., 202; Super. localis, 659, 867.

**Revisores** - ad recognoscenda merita ad Vocalatum, 48; ad scripta examinanda antequam edantur, 806.

**Rituale** - nostrum, in renovatione votorum, 400; in emittenda professione, 782, 787, 788.

**Ritus** - et *Caeremoniae* observandi, 410; Sacerdos peritus caeteros instruat, 411, 413.

**Rosarium** - B. M. V. per mensem a Clericis et Laicis recitandum ante Comitia generalia, 71; a Laicis quotidie si officium B. M. V. legere ne-

queant, 396; et pro nostris defunctis, 424; ab Orphanis dicendum, 918; pro benefactoribus, 433.

**S**

**Saoerdotes** - quando, ubi, quomodo celebrent, 407; externi non admittantur nisi..., 432; quomodo se gerant in celebratione, 419 - 422; vide *Missa*.

**Sacraenta** - administranda fidelibus, 642; vide *Ecclesia*.

**Sacrista** - vide *Praefectus sacariorum*.

**Saeculares** - ad nostram mensam, 586; in domibus non recipiendi nisi..., 656; recepti ultra triduum non commoren- tur, 656; in rebus saecularibus ne Nostri se immisceant, 483; ne colludant, ne que nostra revelent, 912.

**Salutatio Angelica** - signum silentii, 591; mulieres in ecclesia non morentur, 693; Confessarii puellarum in orphantrophiis, 933.

**Salve Regina** - in chore canenda et quando, 401.

**Scheda** - officiorum in sollemnitibus, 413; Visitationis perfectæ duplex scheda fiat, 322.

**Scholae** - erectio et acceptatio, 336; vigilantiae episcopali subsunt, 344; a Rectore quotidie invisendae, 903.

**Scripta** - alicuius momenti a No-

stris in morte relictam in bibliothecam inferenda, 712.  
*Scrutatores* - in electionibus Cap. gen., 106, 122; qui eligi nequeant, 106; in electione Sociorum, 54; acta electionis, 98; et elect. Praep. gen. subscriptent, 114; qui eligi nequeant in elect. maiorum Offic., 106; quomodo iurent, 109; in elect. novorum Vocalium, 39.

*Secretum* - vide Cap. gen., *Visitationis*, *Def. gen.*

*Sedendi* - ordo, 254 - 265; in Cap. gen., 256, 258; in Defin., 257, 258; extra Cap. vel Defin. gen., 259, 260; Provinciales et Visitatores, 261; in domibus, 262 - 265; in itinere, 866.

*Seminaria* - cura et finis Ordinis, 3; regimen etc., 899 et seqq., vide *Rectores*.

*Seniores* - a quo nominandi, 646; reverentia erga ipsos, 496; qui sint in domibus, 622; Vocales sunt Seniores nati, 623; in Cap. gen. rogati sententiam dicent, 234; quando Superior aut Vicesup. consensum eorum requirere debat, 387, 626, 653, 657, 658, 666, 824.

*Sententia* - declaratoria in errantes, 938; dimissionis, 953; a quo approbanda, 964.

*Sigillum* - Praep. gen. duplex habeat, 166; Vic. gen., 177; Proc. gen., 205; Praep. prov., 222.

*Silentium* - 587 - 601; ubi, quando et quam religiose servandum, 601, 636, 896; violatores puniendi, 597; severius servandum in quadragesima, 593; in Cap. gen., 252.

*Socii* - seu *Discreti*: qua voce gaudeant in Cap. gen. et quot sint numero, 50; aetas et professio, et qui munere fungi non valeant, 51; quomodo et quando elegantur, 52; qui suffragii activi ius habeant in electione Sociorum, 53, 57; qui vero passivi, 56, 57; Provinciales in uno loco suaem provinciae, 59; Praep. gen. ubique suffragium ferat, 60; Procuratores in electione, 53, 62; quid faciendum a Sup. domus electionis hac absoluta, 63; quid in dubiis circa electionem, 64; quibus onus dandi pecuniam ad viaticum Socii, 65; cui munus designandi locum pro electione, 66; quid si electus nequeat ad Cap. accedere, 67; literae testes electionis Sociis dandae et a Sociis Praep. gen. in Cap. exhibendae, 68.

*Socius* - Magistri Novitiorum, 748, 852; dicitur etiam *Promagister*, 751.

*Solutio* - casus, 532; a votis simplicibus, 951.

*Statuta* - Cap. gen. et Def. gen. observanda, sed non includenda in Constit. nisi..., 389.

*Stemma* - Ordinis nostri, 166.

*Studentes* - vide *Clerici*.

*Studia* - ubi, 790; a nostris clericis peragenda, 792; quae, 636, 801; qua ratione peragenda, 796, 798; poenae in pigros, 804; quae a sacerdotibus iuvenibus peragenda, 805; quae ab Orphanis, 919; quae a convictoribus et seminaristis, 901, 903.

*Suffragia* - *Defunctionum* pro nostris in die obitus; quae in domo decessus: quae pro Superioribus, 424; pro aggregatis et hospitibus, 425; in anniv. omnium defunctionum Fratrum, 426; quid in decessu Rectoris Orphanorum, 428.

*Suffragium* - (votum) - manifestatio, 78; libertas et secretum, 79, 244; ius alteri non demandandum, 82; Vocales praesentes in Cap. tenentur ad suffragium activum, 86; controversia a quo definienda, 89; supplementum suffragiorum in electione Sociorum, 64, 68; vide etiam *Electiones*.

*Supellex* - ecclesiae et sacrarii, 441 - 445; communis, 512, 525; domus et officinarum, 626; viatoria, 863, 864.

*Superiores* - *locales*: electio, 274, 282, 283; a quibus facienda, 620; quomodo, 284, 285; quis eligi vetetur, 291, 292; ex qua provincia esse debeant, 289; quanto tempore durent, 286, 287; quomodo se gerant,

624, 625; munus, 632 - 652; potestas, 653, 663; quo titulo nuncupentur pro domorum varietate, 655, (cfr. 152, 289); fidei professionem emitant, 621; quid servare debeant in Cap. coll., 605 et seqq.; habeant duos Consiliarios seu Seniores, 622, 623; Superior clericorum professorum et Colleg., 636; quot dies absentiae sibi et subditis concedere possint, 867; rarissime absint a residentia 659; quid adnotent in libro actorum Cap. coll., 660; asservando in eius cubiculo, 661; quid si in Collegio habeantur Comitia generalia, 20; quid tempore Cap. gen., 71; in morte vel diurna absentia provideat Praep. generalis, 152.

*Supplementum* - vel *suppletio votorum*: numquam facienda, 64, 68.

*SupPLICATIONES* - (40 Horar.), 412, 451.

*Suppressio* - domus religiosae fieri nequit sine beneplacito S. Sedis, 345.

## T

*Tabella* - legatorum et missarum in sacrario sit, 417; prope ianuam cum nominibus Religiosorum, 723.

*Tabernaculum* - quomodo exornandum, 446.

*Tabularium* - 98, 661; *vide etiam Archivum.*

*Testamentum* - novitiorum, 774.

*Theologia* - studia, 796, 797.

*Titularis (S)* - ecclesiae: oratio dicenda in Cap. colleg., 604.

*Tituli* - dignitatum, 166, 173; Superiorum loc., 655, (efr. 152, 289); Sacerdotum etc., 495; quoad epistolas, 878, 879.

*Tribunal* - constitutio, 953; sententia, 963; executio, 964.

*Triclinium* - seu refectorium quoad culpas dicendas, 609; ubi extrellum, 891; quomodo, 892.

*Tunica* - clericorum, 815; laicorum, 817; *vide Habitus.*

## V

*Validitas* - electionis, novitiatus, professionis, etc., *vide singularia.*

*Valetudinarium* - pro unaquaque domo, 839; vulgo «casa di salute», 844.

*Vasculum* - aquae benedictae prope ianuam sit, 720.

«*Veni Creator*» - initio Cap. Gen. 26; in electione Praep. gen., 102; in saera visitatione, 300.

*Velamina* - conopea etc. circa lectum vetantur, 519.

*Verbera et Verberatio* - corporis, 582; a verberibus Nostri abstineant cum orphanis, 921.

*Vesperae* - B. M. V. ab orphanis recitandae, 918; cum decantantur Laici intersint, 396; etiam Praeceptores, 800.

*Vestes* - sacrae, 439; *vide Habitus.*

*Viatricum* - Eucharist; 548, 642; *vide Oleum infir.*; pro itinere 863.

*Viatores* - 858 et seqq.

*Vicarius* - qui locum Superioris tenet, 152, 289:

— *Cooperator*, *vide Coadiutor*: — *generalis*: quis, 12, 168; quomodo eligendus in Cap. gen., 121 - 128; extra, 173; duret ad triennium, 15; nisi alter Vicarius sufficiatur, 173, 174; semper reeligibilis, 15; quo casu fungatur munere Praep. gen., 172; Cap. gen. indicat, 169; quo titulo praenotetur, 172, 173; quis ei demortuo etc., et quousque succedat, 173, 174; munus, 175, 176; est Consiliarius natus et primus, 175; quo sigillo utatur, 177:

— *Oeconomus* - *vide Oec. spirit.*

*Viceparochus* - *vide Coadiutor.*

*Vicerector* - quis et a quo eligendus, 263.

*Vicesuperior* - a quo eligendus, 293, 664; quis esse possit absque electione, 665; auctoritas, officium et munus, 666-670; quoad expensas, 658.

*Virtus* - singulis mensibus deligenda, 363.

*Visitatio sacra et Visitator* - 296-326; cui munus incumbat, 296; quomodo excipiatur, 297; quid ei faciendum in primis, 298, 299; preces fun-

dendae, 300; quid si visitet nomine alicuius Superioris maioris, 301, 302; unde visitatio inchoanda, 303; quid antequam alloquatur subditos, 304; quid postea, 305 - 307; quomodo se gerat in accusatione contra Superiorum, 308; quid post visitationem personarum, 309 - 311; iuramentum exigendum a Superiori et Oecono, 312; eius admonitio in irregulari administratione, 313; quomodo se gerat circa reos culpae non levis, 315, 317; in decretis faciendis, 316, 319; in accusatione culparum subditorum, 316; etiam Superioris, 318; et quid Capitulo dismisso, 320, 321; scheda duplex visitationis facienda, et cui mittenda, 322; quid in dissentionibus inter Superiorum et subditos, 323; sumptus in visitatione quomodo faciendi, 324; cui ratio reddenda, 325; munera a Visitatore non accipienda et secretum servandum de locis et personis visitatis, 326; quo loco sedeat, 261.

*Vocales* - Cap. gen.: quot sint singulis provinciis, 10, 44; quo ordine sedeant in Cap. gen., 256, 258; et extra, 259; qua ratione legitime vocati intelligantur ad Cap. gen., 17; quid si non omnes statuto tempore advenerint, 17;

soli cum Sociis accedant ad Cap. gen., 18; pecuniam vel notam tradant Praep. gen., 19; vetantur donare, emere etc., durantibus comitiis, 19; quando adesse debeant Cap. gen., 20:

*Vocales novi*: qui eligendi et quot annis ab emissâ prima professione et qua aetate, 38; quomodo, a quibus et quando eligendi, 39, 40; quo iuramento praemissô ab electoribus, 39; qua maiestate, 41; quid si duo aequalia suffragia retulerint, 41; a quibus definienda difficultas etc., 42; praesentes in collegio electionis advocentur ad iuramentum, 43; quando accersendi in Cap., 30; quibus congratulationibus excipiendi, 31; professio fidei ab eis emittenda, 30; eligendorum qualitates et merita, 45.

*Vota* - *vide Professio et suffragium*: votorum renovatio in festo S. Petri Martyris privatim quotidie et die 1 Ianuarii, 400.

*Vox activa* - pro electione maiorum Officialium, 11, 12, 28, 44, 50, 121, 178, 207; Consiliariorum gen., 121, 328; novorum Vocalium, 39, 41; Sociorum, 53, 57; Superiorum localium, Vicesuperiorum, 293, 664; Parochorum, 293; Magistri Novitiorum, 745, 746; Directorum scholarum etc...

si..., 288; in Cap. colleg.,  
613, 616, 671.

*Vox passiva* - pro electione Praep.  
gen., 100; Maiorum Officia-  
lium, 12, 50, 100, 170; Con-  
siliariorum gen., 330, 331;  
novorum Vocalium, 41, 45,  
47; Sociorum, 56, 57; Supe-

riorum localium, 284, 286,  
289, 291, 292.

Z

*Zona* - serica vetatur, 815; cin-  
gulum loco zonae pro adspi-  
rantibus, 823.